OBSERVATIONES

AD

P. OVIDII NASONIS HEROIDUM EPISTULAS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE
ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS PETERS

NASSOVIUS

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCLXXXII.

PATRI OPTIMO CARISSIMO

LAURENTIO PETERS

PHILOSOPHIAE DOCTORI
GYMNASII HADAMARIENSIS DIRECTORI

S.

Cap. I. De epistularum heroidum codicibus.

§ 1.

Carmina illa Ovidii, quae nunc fere '*heroides*' nominari solent, a poeta ipso simpliciter '*epistulas*' inscriptas esse homines docti[1]) saepius ex artis amandi loco (III, 345 sq.), ubi opera sua enumerans poeta de illo genere poetico dicit:

Vel tibi composita cantetur *epistula* voce:
Ignotum hoc aliis ille novavit opus,

colligi voluerunt.[2]) Sedtamen dubium videtur esse, utrum poeta illo loco plenam carminum illorum inscriptionem repetere an potius significatione breviore uti maluerit. Nam cum aliae eius epistulae nondum extarent, facile quae significarentur, intellegebant lectores, praesertim cum ipso illo disticho satis indicaretur, quodnam esset epistularum genus. Atque hoc potissimum nomen epistulae videtur usurpasse Ovidius, quod has elegias opposuit brevioribus illis suos ipsius celebrantibus amores, quas ad epistularum formam componere noluit. — Cum vero liber ipse sollemniter erat inscribendus, sine dubio ei additus est titulus, quo accuratius singulare illud et novum carminum genus indicaretur. Neque enim omnino epistularum versibus conceptarum genus invenisse se dicit Naso, quod non recte dixisset[3]), sed

1) Cf. *L. Müller* in Mus. Rhen. n. s. XVIII p. 86 sq.

2) Libri enim manu scripti recentiores nimium quantum variant titulum, cum praebeant has inscriptiones: liber heroidum, l. epistularum, l. heroidum sive epistularum, l. heroidum epistularum. Antiquiores quid habuerint codices a prima manu, nescimus. Itaque inde nihil concludi licet. — [Cf. quae in fine commentationis addita sunt.]

3) Cf. *Teuffel*, Röm. Lit.-Gesch.[2] p. 507. 3 et p. 37.

illud, quod heroicae aetatis feminas ab amatis coniugibusque desertas scribentes inducit.

Praeterea non est omittendus Prisciani locus (Institutionum grammat. l. X c. 9 p. 544 K.), ubi citatur '*Ovidius in heroidibus*'[1]. '*Epistulae*' igitur tum non fuit integer titulus; neque tamen '*heroides*' inscriptas fuisse elegias ut putet, facile quisquam animum inducet. Priscianum vero, cum accurate lectoribus indicandum esset opus Ovidianum, usum esse titulo non a se novato sed pervulgato ratio ipsa suadet ut credamus. Itaque ille quoque, quod quidem in operis alicuius commemoratione fieri solet, inscriptionem decurtatam communi fere usu receptam adhibuit. Quodsi utriusque et Nasonis et illius coniungimus auctoritatem, genuinam inscriptionem fuisse aut '*epistulae heroidum*' aut '*epistulae heroides*' credendum est, sive eam poeta ipse sive carminum editores non multo post illum composuerunt. Atque Prisciani quidem testimonium ei paulo magis favet opinioni, ut 'epistulae heroides' inscriptionem genuinam fuisse statuamus.

Neque magis a codicibus adiuvamur diiudicaturi, utrum uno libro an compluribus olim coniunctae fuerint epistulae. Cum enim melioris notae codices in complures libros eos dividere non videantur, deteriores quidam[2]) vel duos vel tres vel quattuor vel quinque distinguunt libros. Atque Birtio de hac re disputanti[3]) concedendum est in complures partes olim distributas fuisse epistulas e satis probabilibus colligi argumentis. At illae recentiorum librorum partitiones, etsi fortasse in antiquioribus cuiuslibet divisionis vestigiis positae sunt, recte grammaticorum studiis et arbitrio attribuuntur. Cuius rei aliud exemplum satis memorabile comiter mecum communicavit Diltheyus praeceptor plurimum colendus, quod Studemundi debetur enotatis. In codicis enim Laurentiani (XXXVI 27) glossematis — velut in ep. XIX et XX argumentis — scriptum est: 'Haec missiva epistula, quam mittit Acontius Cydippae, est prima pars tertiae

---

1) Quod in Manogaldi Metamorphoseon explicationibus (cf. Haupt. opusc. III. p. 588) saepius de 'heroidum' libro dicitur, non urgeo.

2) Cf. *Sedlmayer*, proleg. crit. ad heroid. Ovid. Wien 1878 p. 104.

3) Mus. Rhen. n. s. XXXII p. 394.

partis secundi libri' ... atque similiter: 'Haec est responsiva epistula ... est secunda pars tertiae partis secundi libri' ... Duo igitur ibi constituuntur libri, quorum altero comprehenduntur litterae mutuae; cumque sint tria epistularum paria, in tres ille dividitur partes, quarum quaeque duas amplectitur epistulas, duas partes.

Sed graviora aggrediamur.

§ 2.

Traditae sunt hae epistulae heroides Ovidianae codicibus saeculo XIII antiquioribus perpaucis, recentioribus permultis. Quaenam sit horum omnium ratio, quique libri praeter ceteros sint respiciendi, nondum satis apparere puto; neque enim quae hucusque vigebat de illis sententia nunc omnibus probatur, nec St. Sedlmayero, qui nuper accurata, ut censores nonnulli liberaliter adseverant, plurimorum codicum cognitione adiutus de ea re disputavit[1]), plane assentiendum esse videtur. Itaque hanc quaestionem attingere liceat, quamquam eam, quoniam omnium codicum accuratae nondum suppeditant notitiae, absolvere nos non posse libere fatemur[2]).

Omnium antiquissimos codices esse constat *Puteaneum* (*P.*— Parisinum n. 8242) et *Etonensem* (*E.*—Longobardicum bl. 6. 5.) utrumque[3]) s. XI perscriptum. Illum nonnullorum foliorum iactura mutilum esse passimque aliis casibus laesum, hunc nunc quidem septem tantum epistulas amplecti notum est. Tertius

1) *Sedlmayerus* proleg. critica ad heroides Ovidianas, Vindobonae 1878. Atque de eius libro disputant: *Riesius* in 'Literar. Centralbl.' 1879 p. 776. *H. Magnus* in 'Jahresberichte d. philol. Vereins zu Berlin', V. Jahrg. p. 502. *E. Baehrens* 'Jenaer Lit.-Zeit.' 1878. p. 704.

2) Codicis Puteanei satis plenam et accuratam collationem adhuc desiderari notum est; Etonensis collatio extat in editione angla *Shuckburghii* nuper edita; Guelferbytani libri varias lectiones cognoscere mihi licuit ex enotatis, quae olim sibi fecerat Diltheyus, quaeque, qua est humanitate et benevolentia, mihi inspicere permisit.

3) Puteaneum non esse s. IX, ut statuerunt *Merkelus* (praef. ed. p. III), *Sedlmayerus*, alii, sed XI testatur *Holderus* (cf. *Dilthey*, de Callimachi Cydippa p. 134).

vetustate liber est *Guelferbytanus* (*G.*—mst. extrav. 260) paullo recentior illis, cum Merkelo teste s. XII scriptus esse videatur. Praeterea extant fragmenta Vindobonensia, quae saec. XII, et Anglimontana, quae saeculo XI—XII assignantur.

Atque ut primum de his vetustioribus libris dicamus, omnes ad eundem redeunt codicem archetypum (cf. Sedlmayer l. c. p. 38), quod omnino de omnibus, qui quidem nobis innotuerunt, codicibus statuendum esse infra patebit. Tres illi codices, quos primo loco nominavi (P. E. G.), has praeterea communes habent corruptelas: omittunt v. II, 18, 19; habent III, 30 bland*as*; III, 58 lintea *vela* (nisi quod E. praebet li*ne*a) pro '*velle*'; VII, 97 poenas *violate* (P. scrib. vitio 'viol*en*te' fortasse olim habuit); VII, 113 i*n* terras pro i*nter*n*as.

Puteaneum autem codicem, etsi vitiosum et rasuris potissimum permultis correcturisque depravatum, tamen multo puriorem, quam Etonensem constat esse, qui ex recensito exemplari foedeque a grammaticis tractato manavit[1]). Continentur igitur in his libris duae recensiones, altera aliquanto purior, altera interpolationibus inquinata, utraque sine dubio ante s. XI facta.

Ad illum librum propius accedere Vindobonenses schedas, huius recensionis esse Anglimontanas, quoniam multo pluribus scatent interpolationibus quam Guelferbytanus codex, recte concludit Sedlmayerus (l. c. p. 53 et 91).

Singularis est codicis Guelferbytani ratio. Nam si eius lectiones conferimus cum illorum, his eum cum Etonensis corruptelis aut coniecturis praeter Puteanei fidem consentire videmus:

II, 53 qu*i*d (qu*o*)[2]); 103 ia*m* *te* tenet. (in E. 'te' semel scriptum est; leg. *te* *ia*m tenet.); III, 4 h*a*e (*e*t); 8 hoc quoque (h*a*ec quoque); 21 s*u*m (s*i*m); 29 Laert*e*que (Laert*a*que); 39 Atrid*a* (Atrid*e*); 55 repell*a*r (repell*a*s); 57 *hora* (*Eos*); 95 bell*o* (bell*um*); 132 sin*u* (sin*um*); IV, 1 salut*em* (salute); 108 *carior* (*gratior*); 111 nis*i* *nos* (P. n*isi*; e

1) Nonnulla de hac re notavit Sedlmayerus (l. c. p. 87 sq.); alia ex meis tabellis apparebunt; ceterum luculenter illam eius rationem cognosces, si Shuckburghii editionem inspexeris.

2) Uncis inclusas adscripsi genuinas lectiones, quae maximam partem etiam Puteanei sunt. Merkeli usus sum per totam commentationem et epistularum et versuum numeris.

Palmeri coniectura leg. *nisi si*); V, 4 ipse (ipsa); 8 indigne (indigno); 33 duxit (dixit); 77 *tecum* veniunt (*tibi con*veniunt); 86 possunt (possint); VI, 50 *Oe*te (in G. prima littera evanuit, sed eam fuisse O inde concluditur, quod semper idem praebet mendum; leg. *Ae*ete); 77 perdam (perdo); 78 concidet (concidat); 81 argolicas (argolidas); 101 *per te* (*Peliae*); 131 hanc *tamen* o demens (P. hanc o d.; Palmerus probabilem in modum coniecit 'hanc, *hanc* o d.'); 140 quo*d*libet *ad facinus* (P. qu*amlibet iratis*; genuina lectio dubia est); VII, 17 tibi *et extat* habend*a et* (P. tibi (vel *ubi*?) *est* habend*us* et. Birtii arridet coniectura: tibi *restat*? habend*a est* altera Dido?); 26 Eneam*que* (Aeneam); 53 possint (possunt); 71 totum merui... dices (P. *tu*tum merui... dicas; nondum sanatus est locus); 103 debita (dedita); 104 *a*misso—meo (P. amissi—mei leg. *ad*missi—mei); 118 emi (emo); 125 victam (vinctam); 152 *in*que loco regis (P.: *nam*que; leg. *hanc*que).

Itemque ubi P. deest, eadem nonnulla aperta vitia deprehendimus in G. et E.

Velut: I, 103 hec (hinc); 105 annis (armis); IV, 72. cinxerat (tinxerat); VI, 7. signetur (signatur); 31. utque animus rediit (legendum esse censeo 'ut rediit animus', et quod aliis quoque locis talis est verborum ordo (cf. her. XIII, 29; a. a. III, 707. F. III, 333. V, 515) et quod her. XIII, 29 quoque praeter Puteanei fidem, qui habet 'ut rediit animus', interpolatam illam scripturam praebet), 32. aeripedes (aënipedes); 49. auro (aureo).

Videmus igitur earum codicis Guelferbytani lectionum, quae discrepant a codice optimo, fontem esse magna ex parte illam recensionem, ad quam pertinet liber Etonensis. Neque enim dissimile est veri earum quoque, quibus G. in relicuis epistulis dissentit a P., multas olim in E. fuisse.

Quamquam minime in omnibus illum sequitur corruptelis et interpolationibus; immo discrepante E. cum P. consentit atque etiam eadem atque hic liber non pauca praebet menda[1]).

Velut II, 29 P. et G. habent: unum in me (E. in me unum); *47 me fugiturus haberes (tu fug. abires), [leg. me fug. abires]; 49 copia verbis, (copia est verbis); 65 sum, (dum); 66 faciant, (faciunt); 72 caeca dei, (celsa Ditis); 75 factisque, (tantisque); 80 capistratis sedet,

1) Hac causa vel eo adductus est Palmerus (edit. praef. p. VI), ut hunc librum ex ipso Puteaneo transcriptum esse censeat.

Asterisco (*) posito in hac tabula corruptelas indicavi cod. P. et G. Quas in ea uncis inclusas invenies lectiones, codicis Etonensis sunt.

(caput stratis sedit); *82 ferar, (feror, quod scribendum est); 110 multa datura, (plura datura); *134 quoniam, (quando), [e L. Mülleri coniectura leg. quum iam]; 135 me fluctus... portent, (me ut fluctus... potens); *142 iuvat, (in E. deest hic versus), [leg. libet]; III, 16 iterum, (iam tum); 37 cumque tot his—sed non opus est tibi coniuge—coniunx, (cumque tot his, opus est tibi coniuge, addita coniunx); 114 hora, (aura); 69 captiva sequar, (sequar captiva); 80 leviter, (leniter); 89 desinat, (finiat); 107 quae, (quod); 115 si (G. et) quisquam quaerit, (et quisquis quaerit); 128 feram, (dabo); 139 aut, (at); IV, 23 primos... amores, (primo... amores); 120 tanto mater, (mater tanto); 124 ille, (ipse); *127 i nunc si meriti, (i nunc immitis), [leg. i nunc sic meriti]; 129 coitura, (peritura); 135 coit, (cogit); 171 Panes (Fauni); V, 20 longa, (summa); *60 et mihi, (et tibi), [leg. ei mihi]; VI, 51 mala fata, (mea fata); 71 cupidaeque faventia menti, (cupidae faventia amanti); 73 timori, (timoris); 74 persolvenda, (agitanda); 75 ego, (ergo); 89 passis, (sparsis); 98 quaeque, (quamque); *100 se favet, (se facit), [Madvig. sese avet]; 106 axe, (orbe); 109 vernaque, (unaque); 135 clade, (caede); VII, 11 nova... crescentia tangunt, (mea... surgentia tangant); 20 tuos, (tua); 42 eversas, (adversos); 48 fugias, (careas); *71 quid tanti est, (quid id est), [genuina lectio dubia est]; 82 plector (G. plectar), (fallar); 93 nos, (me); 95 vocem, (voces); 101 quater ore, (quater atque ter); 123 coiere, (cupiere); 126 praebuerim, (praetulerim); 139 sed (si); 147 utque latet vitatque tuas abstrusa carines, (utque iuvent ventusque tuas remusque carinas).

Deinde has communes praebent corruptelas codices Puteaneus et Guelferbytanus:

VIII, 34 posset (possit); 69 destinat (distinet); IX, 9 venis (velit); 69 pudet (putes); 129 sublime sub (sublimis ut); X, 10 semisopita (semisupina); XI, 53 continuo (contineo); XII, 25 fuit (fui); 149 e pueris iussus; 185 nam (tam); XIII, 13 mandatis (mandantis); 43 dux pari (Dyspari); XIV, 5 dimittere (demittere); 18 ossa (orsa): XV, 291 semine amorum (semine morum); 301 esset et idaei (G. ut idei) (restat ut Idaei); mando (mandem); 364 non potes (num potes); XVI, 54 genus (decus); 194 utraque iusta (lusa); XVIII, 81 leta (lenta?); 62 nunc iuncta (P.-o) nostra (nunc nostro iuncta); 118. peccas (pecca); 133 ceuceque et aucone (G. celiceque et aueone), (Calyceque Hecataeone); 209 nandi (nanti); XIX, 6 pudor ante (p. ora); 15 nec tempore (nunc tempore); 37 placidas (placitas); 62 quin tua pars sit (q. tibi par sit).

Nec dubito, quin futurum sit, ut augeantur tales loci, si codex Puteaneus accuratius nobis cognitus fuerit.

Deinde ea re similis est Guelferbytanus liber Puteaneo, quod in utroque complura disticha spuria, quae in relicuis libris

emergunt, desunt, cum quattuor (ep. V, VI, VII initia et V, 23, 24) in ipso Etonensi appareant.

Denique nova menda librariorumque coniecturas in eo inveniri demonstravit Sedlmayerus (l. c. p. 44 sq. 81 sq.); sedtamen illorum quae collegit vitiorum partem Etonensis recensioni tribuendam esse vidimus.

Quae hucusque de trium illorum librorum affinitate et dissimilitudine disputavimus, non possunt ullo modo inter se conciliari, nisi ita ut statuamus transcriptum esse codicem Guelferbytanum ex libro aliquo codici Puteaneo affini[1]) at secundum Etonensis recensionem pertractato ab aliquo correctore, qui suas quoque coniecturas quasdam inseruit.

Itaque tertiam G. repraesentat recensionem, quae medium inter P. et E. libros tenet locum.

§ 3.

Nunc quid de relicuis recentioribus libris statuendum sit, videamus.

Cum antea duas statueretur esse codicum familias, quarum altera cum G. omnes libros excepto P. complecteretur, nunc Sedlmayerus (l. c. 51 sq.) demonstrare studet 'extare libros, qui a codicis G. familia plane separandi sint, quique redeant ad exemplaria, qualis sit P. inde a saec. XII . . .' 'Fuerunt igitur, pergit ille, horum librorum archetypi puriores quam G. propiusque ad P. accedebant.' Imprimis codicis Gissensis archetypum vetustiorem fuisse censet quam exemplar, 'ex quo cum P. fluxerint omnes, aliquot locis puriorem quam P. plerisque puriorem quam G. ceterum P. similem.' 'Eandemque rationem esse aliorum quorundam, ut Francfurtensis, Gothani prioris.' Complures igitur libros praeter vetustos illos adhibendos esse atque eos non paucis illis locis, ubi in P. extant lacunae, ipsis libris G. et E. aliqua ex parte esse praeferendos censet.

---

1) Urgere nolui, quod in G. etiam meliores lectiones apparent, quam in P., quoniam omnes facili coniectura inveniri potuisse videntur.

Neque unquam in animo habui neque perficere potuissem, ut omnium codicum, qui aliquanto etiam plures sunt, quam enumeravit Sedlmayerus[1]), rationibus accurate disquisitis novum statuerem codicum stemma, sed de illo tantum libro accuratius quaesivisse satis habeo, quem 'insignem locum' inter ceteros recentiores libros obtinere affirmat. Itaque codicem Gissensem, cum ipsis Sedlmayeri tabulis collatis non possem assentiri eius de illo libro sententiae, denuo inspicere statui. Cumque intercedente comiter bibliothecae nostrae academicae administratore huc transmissus esset liber, plane falso de eo hucusque fere iudicatum esse brevi intellexi[2]).

---

1) Iam ab aliis (cf. Jen. Lit. Zeit. 1878 p. 704, Philol. Rundschau I, 412) Sedlmayerus vituperatus est, quod nonnullos neglexisset codices: sed potius quos casus quidam obtulit codices eos percensnisse, quam consilio et industria apparatum plenum collegisse videtur. Omisit enim bibliothecae Amplonianae Erfurtensis fragmenta s. XIII (cf. Kritz, de codicibus bibliothecae Amplonianae Erfurtensis potioribus. Erfurt. 1850. 4°. p. 10 g). Nullum autem librum bibliothecae alicuius Italicae commemorat, nisi quos vidit citari in Diltheyi de Call. Cyd. libro. Enumero hoc loco nonnullos, quorum cognitionem debeo Diltheyo, quorumque partim ipse partim in eius usum Studemundius enotavit: cod. *Ambrosianus O.* 138 Sup. 8° membran. saec. XIV, cum glossematis interlinearibus et scholiis verbosis instructus. cod. *Ambros. E.* 84 Sup. 8° saec. XIII—XIV olim Bobiensis, membran. notis adspersus. cod. *Ambros. P.* 73 Sup. 8° membr. saec. XIV. cod. *Ambros. F.* 53 Sup. 8° chartac. saec. XV. cod. *Ambros. J.* 8 inf. olim Aveniensis, saec. XIV. cod. *Mutinensis VI. B.* 22. saec. XV commentariis instructus vilibus. cod. *Parmensis*, bibliothecae regiae, H. H. IV. 11. membran. saec. XV. cod. *Vaticanus* 2792 saec. XIV. cod. *Basileensis F. IV.* 17. membran. saec. XIII —XIV. Omnes hi libri desinunt in ep. XX. v. 12. Accedunt quos Kunzius (P. Ovidii Nasonis libellus de medicamine faciei. Vindob. 1881) enumerat: cod. *Riccardianus* (*M.* III. num. I. 489) s. XIII., duo *Berolinenses* (Ms. Diez. B. Sant. 1. ms. fol. n. 123) s. XIII (?) et (ms. Diez. b. Sant. 4) s. XV, *Laurentianus* (pl. XXXVI. 2) s. XV, *Urbinas* (n. 347) s. XV.

2) Miratus sum incredibilem neglegentiam collationis Wigandianae quam Loersius edidit, quaque Sedlmayerus animo fidenti usus est. Haud paucae scripturae false enotantur, multo plures corruptelae aut

Et quod quidem attinet ad eas libri illius scripturas, quas Sedlmayerus P. lectionibus praestare et e quibus colligi putabat vetustiorem codicis Gissensis quam ceterorum fuisse archetypum: hae si re vera extarent, non probarent id quod Sedlmayerus eis probari opinabatur, quoniam pertinerent ad correctiones tales, quales a librariis lectoribusve facili negotio absque codicum antiquiorum auctoritate inveniri poterant. At ne sunt quidem in illo libro Gissensi bonae illae scripturae, quas Wigandiana usus collatione enumerat Sedlmayerus (l. c. p. 52 sq.). Re vera in codice Gissensi v. II, 142 legitur '*iuvat*' et supra scriptum est fortasse ab eadem manu '*libet*'; VI, 83 meritis*que*, 109 aesonide*s*; IX, 87 *in* cupressifero Erymantho; X, 129 sola*m* tellure; XII, 118 *i*amque nocens; 185 *n*am tibi; XIV, 5 *suponere* (ubi legi ferebatur: 'demittere'); XVI, 245 *per*sequar; XIX, 37 placi*d*as. Quod IX, 129 extat 'sublimi*s ab*' certe nemo aliud nisi coniecturam esse iudicabit, cum Puteaneus et alii libri corruptelam habeant 'sublim*e sub*' pro 'sublimi*s ut*'. — Neque ullus illorum

---

interpolationes ne adnotantur quidem, ut paene dubitatio mihi oreretur, num eodem et ille et ego usi essemus libro Gissensi. Sed cum intellexissem totum librum nullius esse momenti, quae peccavit ille singillatim omnia afferre operae pretium non esse putavi. Uno liceat uti exemplo, ut appareat, quam neglegenter collatus sit liber. Ep. II. 23, ubi legendum est 'reducunt', codicis Gissensis mendum adnotatur 'recedunt'; sed re vera est in libro 'reducunt' usitato compendio scriptum atque prima syllaba 're' errore bis posita, quarum priorem eadem manus, quae omnia scripsit, infra ducta lineola (re), ut saepius fit in illo libro, tolli voluit. Sed eodem atramento nigro, quo nostra sine dubio aetate manus aliqua interdum versuum numeros adscripsit aliaque addidit indicia, altera littera 'r' mutata est in *c*, ut omisso compendio legi possit 'recedunt'. — Alia et haud parva false adnotata esse apud Loersium et Sedlmayerum e nostris intelleges tabulis.

Codicis descriptio apud Sedlmayerum (l. c. p. 21) recte se habet; addi potest olim bibliothecae Mentelianae fuisse librum et quamquam est integer, deesse cum totius libri tum singularum epistularum et inscriptiones et subscriptiones.

Ceterum iam recte de libri pretio iudicatum erat a Diltheyo (l. c. p. 60 n. 1), qui ipse eum examinaverat, id quod a Sedlmayero non erat neglegendum.

locus correctus est ab altera manu: omnia a prima manu ita scripta esse ut indicavi, et oculis vidi et pro certo adsevero[1]).

Itaque unum 'blandae' (III, 30) restat, quae num recta sit lectio, nonnihil dubitationis relinquitur. Dubito an vetustiorum librorum scriptura 'blandas' indicet hoc, versus 31—38, quorum ad constructionem non quadrat, olim non fuisse in libris.

Haec ergo Sedlmayeriano invento subtraximus adminicula. Deinde his cum Puteaneo consentit corruptelis: IV, 155 reli*n*quit; VII, 4 *n*ovimus; 153 *quod* super est (sed idem mendum praebet E.); IX, 20 cumul*us*; XII, 126 T*e*nacriae (P. Tinacriae); XVII, 190 mitt*i*t; quibus addo: VII, 104 *a*missi; 138 adfer*a*t. XI, 67 autem praebet 'fr*un*dibus' non '*frug*ibus', ut adnotat Sedlmayerus.

Atque extant sane loci, ubi Gissensis, cum alii libri, in quibus etiam G. vel E. vitia praebeant aut grammaticorum coniecturas, veram codicis P. scripturam servavit[2]). Sed minime tantus eorum est numerus, ut Gissensis codex Puteanei similis vocari possit. Immo multo pluribus locis cum codicis G. scripturis mendosis aut interpolatis consentit, atque cum illis haud paucis, quae illatae non sunt in Puteaneum librum ab altera manu. Sunt autem hi loci, quorum Sedlmayerum secutus asterisco posito eos indicavi, qui a manu altera in P. extant:

II, 45 ha (lectio genuina est: at.); 56 hoc (haec); 95 effundere (confundere); 111 latissima (laetissima); *142 praebuerant (praebuerunt); III, 61 relinques (relinquis); 81 non contempta (ne cont.); 154 more (iure); IV, 54 petit (quod in G. a manu altera est; leg. petat); 75 sin (sint); 85 duritiem (duritiam); V, 16 deprensa (defensa); 119 demergite (di mergite); VI, 9 cur mihi fama prior de te quam litera venit (cur mihi fama prior quam litera nuntia venit); 65 Argon (Argo); 82 exspectato (exspectata); 83 carmine movit (carmina movet);

1) Ceterum Sedlmayerus quae fuerit lectio VI, 109; XII, 185; XIV, 5; XIX, 37 ex Loersii silentio concludit.

2) Ex illis quoque, quos Sedlmayerus (l. c. p. 81 sq.) ut consentientes cum P. cod. affert, locis nonnulli false enotantur: III, 115 est: *at* si quis, VI, 68 *per*spiciuntur, V, 96 consule quis *eras*, VIII, 61 has semper lacrimas habeo, semperque profundo, X, 31 aut certe dum me, XII, 202 quam tibi si dicam dos meam redde neges, XV, 353 vestrae copia terrae.

87 refectit (quod mendose pro *'refrenit'* positum est) et sistit (illud in G. a prima manu (refren*it*), hoc ab altera extat); *137 referam (refert); 146 perfide quo pretio (perfidiae pretio); VII, 2 Menandri (Maeandri); 5 meriti famam (merita et famam); 21 omnia si veniant (manus eadem prius: omnia 'subveniant, quod correxit lineola infra scripta; leg. ut veniant); 35 ipsa (ista); 43 quod tibi debueram (q. t. malueram); 45 quod non censeris (lectio genuina latet, fortasse leg.: quod non merearis); 68 Tiria (Phrygia); 124 imposuisse meis (suis); VIII, 23 parabis (insuper mendose scriptum est; leg. pararis); *24 numerum (numeros); 33 eacide (fortasse: Aeacio); *50 patrem (pater); *72 et 73 Tindaris (Taenaris); 77 flebantque (Phoebeque); IX, *18 alas (mendose pro Atlas; leg. Atlans); 47 parum est (parum); *49 anguem (Augen); 94 Cerberus (Cerberos); 96 ditior ipsa (dives ab ipsa); 114 fere (= ferae; fe*ri*); 120 en venit (et venit); 153 acrior (Agrios); X, 10 Thesea pressuras semisópita (Th. prensuras semisupina); 30 tensa notho (tenta noto); *71 victus (victor); 85 alit (alat); 99 Androch*eus* (Androgeos); 112 at (aut); 122 *unget* (quod utrum corruptum sit ex *'iunget'* (*P.*) an ex *'unguet'* (*G.*) incertum est); 139 hor*ent* (horr*et*); XI, 27 *ob*duxerat (G. *ab*duxerat; *leg.* *ad*duxerat); 52 sed pudor et nutrix et timor ipse vetat (sed timor et nutrix et pudor ipse vetant); *91 planxi (plangi); 125 in foedere vulnere (G. in funere; leg. in vulnera funde); XII, 9 argon (Argo); 17 semina iecisset totidem quot seminat hostes (in P. rasura est; probanda esse videtur Madvigii coniectura: 'semina sevisset totidem quot semina et hostes'); *29 pater Oetha Pelasgos (p. Aeeta P.); 39 dixerat interea tibi rex (dicitur interea tibi lex); 51 dixerat Oetes (d. Aeetes); 72 ausus es (orsus es); *75 iuv*a*t ipsa (iuvet ipsa); 84 unde deosque putem (unde meosque deos); 99 miserabile (mirabile); 139 effudit (effundit); 185 nam — quod (tam — quam); 201 auro (aureo); XIII, *83 qui pugnat amore (quam p. amare); 110 cur venit a verbis multa querela *tuis* (lectio genuina nondum patet; P. *tens.*); 119 referas (referes); 137 Troadas (Troasin); 144 arma fac ista (ista fac arma); 147 exuet et (exuet haec); XIV, 45 loquor (loquar); 64 piam (piae); 65 quid (quo); *72 expulerant (expulerunt); 91 et cognata loqui (et conata l.); *93 in unda (in umbra); XV, 13 recepta est (recepta); 167 eligisse (legisse); 203 armis (annis); 229 saepe meam (s. mero); 291 si sint (si sunt); amorum (morum); 304 tui (l' mei, supra scriptum est, G. mei; leg. tui); 320 in tua iussa meis (in sacra iura tuis); 363 et 364 non potes (num potes); XVI, 21 *in*tulit heros (*at*tulit); 36 simulat*ur* (simulat*or*); 44 putas (quod in G. a m. 2 scriptum est; leg. putes); 51 et genus (ea genus); 54 Tyndareique genus (decus); 98 placidis (placitis); 108 lenta venit (l. fuit); 157 at (aut); 186 ut (?) -foret (vi — fuit); 252 illa tuis (illa suis); *260 coniunctas (cunctatas); XVII, 41 cum sis (quod sis);

69 a facie Veneris (a Veneris facie); 95 tunc (nunc); 102 dis magnis (di magni); 135 iterare (iter ante); 145 navisque (navisve); 177 est (es); 203 desine parte queri sed et ut mare desinat (desino parce queri. Sed ut et mare finiat); 218 persequar (prosequar); XVIII, 16 quid faciam (quod f.); *35 in summa . . . turre (in summo . . . tecto); 62 nunc iuncto nostra fovere sinu (nunc nostro iuncta f. s.); *102 agas (agis); 125 aut (an); 138 conseruisse (composuisse); *152 stertuit (sternuit; v. 151 fortasse in Giss. est: sternuit); 165 metuis (metuas); 171 tam (clam); XIX, 13 et 15 nec (nunc); 16 expc (et spe); 30 consulto, sed supra additur: l'. consumpto (consulto); 27 egimus arte (eg. a me); 72 sinit (sinet); 108 movere (monere); 124 non (nec); 135 removi (remoto); 230 vigilans (vigilem).

Atque etiam eae scripturae, quae e codicis Etonensis recensione in Guelferbytanum illatae videntur, omnes fere in Gissensi inveniuntur:

II, 103 iam te tenet; III, 4 hac; 21 data sum; 29 Laerteque; 55 repellar; 57 hora; 95 bello erat; IV, 1 salutem; 168 carior; V, 8 indigne; 33 duxit; 86 possunt; 153 quod neque; VI, 32 aeripedes; 49 auro; 50 Oete; 77 perdam; 103 sed filia; 81 argolicas; 131 hanc tamen o demens; VII, 718 emi; 152 inque loco regis.

Deinde e codicis Etonensis recensione haec recepta sunt menda, quae in Guelferbytano libro non apparent.

I, 48 ante (leg. esse cf. Philol. Rundschau I p. 410); 62 notata (novata); 68 en (heu); 75 meditor (metuo); II, 7 bene quae (quae nos); 10 invita nunc es amante nocces (invito nunc es amore nocens); 11 putavi (notavi); 35 *in* undis (et auris); 45 puppes etiam (etiam puppes); 114 amissas (admissas); 123 et 124 '*sidera*' et '*frigora*' locum suum mutaverunt; III, 37 deest '*non*'; 44 aura (hora); 58 li*nea* (sic!) vela (lintea velle); IV, 23 primo . . . amores (primos . . . am.); 55 Europam (Europen); 67 Eleusis (Eleusin); 84 iuvat — agis (illud 'iuvat' fortasse recipiendum est, pro 'agis' leg. 'agas'.); 111 nisi nos — negamus (nisi si — negemus); V, 20 per iuga summa (p. i. longa); post v. 22, ubi in E. quoque extant, duo illi versus spurii inserti sunt; 73 Ydam (Iden); 93 ut Hectora (vel H.); 124 illa iuvencus (Graia iuv.); 135 tuta manebam (tecta latebam); 150 deficio (deficior); VI, 28 trahunt (vocant); 36 facta (fata); 51 mea facta (mala fata); 73 timoris (timori); 89 sparsis (passis); 100 se facit (sese avet); 106 fortasse '*orbe*' in rasura fuit (axe); 110 pollicito (polliciti); 118 res tales (P. q . . . . les, G.: quod tales; Palmer. coniecit '*dotales*'); 135 cede (clade); 144 foret (fuit); VII, 8 verba fidemque ferunt (vela f. q. fer.) 85 hec . . . . novere merentem (at — movere mer.); 86 illa minor

(ure m.); 95 voces (vocem); 123 cupiere (coiere); 139 si (sed); 147 utque iuvat remusque tuas ventusque carinas (E. utque iuvent ventusque tuas remusque carinas; leg. utque latet vitatque tuas abstrusa carines).

His satis effici puto fluxisse codicem Gissensem ex archetypo, qui non minus secundum Etonensis quam secundum Guelferbytani recensiones opera levi et inconstanti tractatus erat. Atque haec sententia etiam confirmatur ea re, quod locis nonnullis alterius libri scriptura inter verba poetae recepta, alterius aut supra scripta aut in margine ab eadem fortasse manu adnotata legitur. — Velut I, 36 scripsit quidem librarius '*alacer missos*', attamen in margine interpretatur: '*lacer admissos*'. IV, 161 legitur 'meorum', et supra scriptum est ab eadem, ut videtur, manu 'l' piorum' quae est codicis G. corruptela. Itemque V, 6 supra 'quod', scriptum est 'quid', codicis G. lectio. VI, 41 praebet '*heu* mihi', codicis E. et G. lectio 'ubi' supra scripta est. V, 69 codicis E. scriptura 'morabor' apparet in marginis glossemate[1]) in textu 'morabar.' V, 110 extat 'volant', ut in G., et supra scriptum est 'cadunt', quod in E. est. Itemque VI, 20 'futura' et 'recepta' apparent; VI, 40 'facta', quod in E., sed 'suo', quod in G. est. Atque similiter VII, 87 'mea' (E.) et 'numina' (G.) legitur.

Itaque cum Gissensis codex deductus sit e recensionibus, quae satis vetustis exemplaribus nobis repraesentantur, atque praeterea cuiusvis generis mendis atque coniecturis vilibus refertus sit plurimis, quae non omnia codicis Etonensis recensioni tribui possunt: eum nullius pretii esse censeo. Hac una re vel optimis praestat libris, quod servavit v. II, 18/19 sine dubio genuinos. Neque vero solus illos exhibet, ut statui videtur a Sedlmayero (l. c. p. 52). Burmannus quidem et Jahnius in editionibus plurium librorum varias adnotant lectiones eorundem versuum. Atque iam in cod. Gissensis archetypo duos illos

---

1) Haec marginis glossemata, quae per totum librum modo saepius modo rarius adnotantur admodum vilia sunt; maximam partem in eis librarius voces quasdam interpretatur, vel fabulas narrat, vel summaria dat epistularum: omnia puerilem in modum confecta sunt. cf. Dilthey l. c. p. 60 n. 1.

versus fuisse inde concludi posse puto, quod et in Gissensi inter poetae verba recepti sunt neque in margine, unde sumpti sint, adnotatur. Liceat hoc exemplo illustrare. In quarta quidem epistula post v. 132 Gissensis[1]) spurium praebet distichon, quod in aliis quoque est recentioribus libris, et cum in margine eadem manus adnotet: 'illi duo versus non sunt de textu', concludendum est eos in margine adscriptos fuisse archetypi.

Sedtamen inde quod adsunt duo illi versus in aliis libris plerumque omissi, haudquaquam praestantiam aliquam codicis Gissensis eiusve archetypi colligere licet. Immo cum codicis Gissensis fontem secundum alios libros esse correctum viderimus, maximam habet veri speciem duos illos versus (II 18/19) in libro aliquo vetustiore forte inventos et inde esse adscriptos.

In ceterorum librorum, quos Sedlmayerus propius ad Puteaneum codicem accedere vel e vetustiore illo fonte fluxisse censet, rationes inquirere non possum.

Sedtamen cum quas ex illis affert meliores quam Puteanei ipsius lectiones, eis non maiorem auctoritatem esse quam editorum coniecturis pateat, de sententia eius multum dubitationis relinquitur.

Atque adeo, cum semel valde falsi simus Loersiana Giss. collatione, causam esse puto, cur dubitemus, num hae ipsae

---

1) Praeterea haec habet recentiora disticha spuria: illud post V, 22, quod ex Etonensi fluxit, quamquam tria illius initia spuria V, VI, VII non praebet; VII, 24, 25; post VII, 97 in margine adscriptum est notum illud distichon; aliaque quae exhibet Sedlmayerus (l. c. p. 69 sq.). Deinde, quod extare in illo nondum innotuit, post IX, 82 hoc:

Dumque paras veniam, pudor a! celanda recenses;
Ante pedes dominae percubuisse tuae.

atque unum quod, cum apud Loersium adnotetur, omissum est a Sedlmayero; post XVII, 2:

Quam cuperem solitas, Hero, tibi ferre per undas,
Accipe Leandri, dum venit ipse, manum.

En novum illo disticho ep. XVII additur initium! Quod quidem sine dubio illi vel privatae vel scholasticae exercitationi debetur poetae verba aliter effingendi. cf. Hofman Peerlkamp Horat. edit. II. p. XI; Heyne Tibull. edit. II. p. XXI.

lectiones a Loersio eiusve adiutoribus vere et sincere enotatae sint. Sed licet hae quidem recte se habeant, vel pauca illa, quae de horum librorum scripturis nota sunt, eos et Guelferbytano et Etonensi affines esse arguunt (cf. Sedlmayeri tabellas l. c. p. 49 sq.). Omnis igitur recentiorum librorum turbae, etsi alii aliis plus minusve inquinati sunt, eandem fere esse rationem censeo atque Gissensis[1]).

Itaque ut, quae hucusque disputavimus, breviter colligamus, genuina versuum forma continetur, ut nunquam non statui solebat, imprimis codice Puteaneo, deinde cautius adhibendus est Guelferbytanus, postremo loco Etonensis; relicuorum turbam in eis versibus quos habet Puteaneus plane neglegendam esse censeo; quos vero Puteaneus non habet, praecipue constituendi sunt ex Guelferbytano, quippe qui omnium proxime ad Puteaneum accedat; neque nisi perpaucis locis causa erit, cur ab eius scripturis recedamus; relicuorum scripturae, veluti editorum coniecturae, nisi certissimis rationibus probatae, recipiendae non sunt.

Neque tamen illi libri, quos omnium optimos esse intelleximus, ac ne Puteaneus quidem, epistularum incorruptam tradiderunt formam: mitto menda permulta, quibus referti sunt, non dico de grammaticorum coniecturis, quae ne in Puteaneo quidem, etsi rarius appareant, deesse videntur; praetereo etiam illos locos, ubi lacunas, quas in ipso Puteanei archetypo fuisse statuendum est, compleverunt grammatici: primum in hac commentatiuncula dicam de versibus insiticiis eis, qui quoniam in omnibus libris comparent, inde iam antiquitus heroides invasisse cognoscuntur.

Alterum autem neque minus grave omnium codicum, qui quidem nunc cogniti habentur, vitium hoc est, quod omittunt complures locos genuinos atque in eis duas epistularum partes maiores, quae alias casu aliquo servatae esse videntur. De his quoque nobis infra dicendum erit.

---

1) Duos libros, Guelferb. (Gud. 161) et Vaticanum (cf. p. 8 n. 1), ita ut dixi esse comparatos vidi, cum ad nonnullas epistulas varias illorum lectiones benigne mihi tradidisset Diltheyus.

Cap. II. De versibus insiticiis.

§ 1.

Epistulas Ovidii heroides sectatorumque eius in codicibus s. XII recentioribus augeri videmus versibus aperte spuriis[1]). Qui non omnes eodem tempore inserti esse videntur: alii cum iam in Etonensi appareant, ante s. XI, alii s. XII—XIII, alii etiam posteriore tempore invaserunt, atque ea quoque res, quod magis minusve aliis alii sunt viles exilesque, eos variorum esse auctorum docet. Sed cum et cetera Nasonis opera et epistulae heroides certe studiose excepta essent diligenterque lectitarentur et tractarentur primis post eum saeculis: cogitandum est tum ipsum eas, quoad fieri poterat, versibus adscriptis amplificatas esse. Atque re vera ubertas ac facilitas illa Ovidiana neque minus ea res, quod Ovidius cogitationum affluentium tractui indulgens in singulis epistulis haudquaquam ad materiae dispositionem severam atque artificiosam se accommodat et magis etiam quam in ceteris carminibus suis modum excedit: haec igitur, quae Senecam quoque in eo vituperasse videmus (cf. Controv. II. 2. (10) 9 sq.) homines literatos tamquam pellexisse videntur ad imitandum Ovidium atque impulisse, ut quid possent in augendo poeta periclitarentur. Haec ipsa, quae tum orta est, interpolationum copia quaeque absoluta inest in vetustissimis, qui nobis sunt noti, codicibus, sine dubio non omnis eodem tempore, sed inde a prima post edita haec carmina aetate paulatim succrevit.

Neque vero primus hoc excogitasse mihi videor; iam Nic. Heinsius, ‘sospitator ille Ovidii’, aliquanto etiam magis quam cetera Nasonis opera epistulas her. versibus insiticiis recte vidit scatere, quaque erat sagacitate subtilique iudicio, haud pauca disticha optimo iure in suspicionem vocavit. Quam viam ingressus erat, alii posterioris aetatis philologi secuti sunt, ut nunc fere in omnibus editionibus velut Merkeli, Riesii, Palmeri,

---

1) Collegit eos Sedlmayerus l. c. p. 65 sq.

Shuckburghi, passimque in eruditorum actis invenias circumscribi versus quosdam, qui editoribus spurii videantur.

Longius processit Lehrsius[1]), qui omnium fere epistularum vix plus dimidiam partem genuinam esse, relicua quaecunque minus apte dicta esse aut abesse posse putabat, a mediocris ingenii hominibus addita esse censuit. Etsi minime in eius[2]) partes succedere possum, qui illius commentationis hanc unam sententiam statuit probari posse, qua concluditur: 'Ihre Veröffentlichung möge man verzeihen', tamen Lehrsium calidius quam prudentius rem gessisse atque argutiis argumentandi nimium indulsisse cum multis consentio. In universum dicendum est eum false resecuisse, quaecunque rhetorum more longius exposita esse aut omnino colores oratorios, ut ita dicam, exhibere viderentur, atque in his talia saepius argumenta, quibus in omnibus epistulis constanter uti solet poeta. Huc pertinet praeteritae felicitatis, cum viri amati praesentia heroina quae scribit epistulam gauderet, memoria, huc malorum dolorumque, quae coniuge absente vel irruerent vel imminerent, enarratio, huc timor amantis, ne nova uxor viri desiderati animum ab ipsa abalienaverit, eodem denique, quod in plurimorum carminum fine sese mortem oppetere malle quam a coniuge diutius abesse dicunt heroinae (cf., quas damnavit III, 67—82, 91 usque ad finem; VII, 183—196, 169—182; IX, 136 usque ad finem; X, 76—150; XII, 182—208 aliaeque maiores epist. partes).

Sententiam illi plane repugnantem Riesius proposuit (praef. edit. p. IX), quippe qui nec causas certissimas plerumque esse putet, cur plura deleantur, nec si quis obelo uti velit, modum servari posse, quin plurima inepta habeantur. Sedtamen opinor non esse prorsus desperandum fieri posse, ut Ovidii epistulae ab additamentis spuriis fere liberentur; quamquam libenter con-

1) In Jahni annal. phil. et paed. vol. 87 (a. 1863) p. 49 sq., quae iterata est disputatio in edit. Horat. carm. p. CCXXII sq. — Nos prioris libri citamus paginas. — Quod idem vir doctus vel hoc disputatione sua effici vult, ut omnes epist. her. Ovidio abrogentur, commemorasse satis habeo.

2) Sedlmayerus in prol. crit. p. 78 n. 59.

cedo nonnunquam interpolationes adeo cum genuinis poetae verbis coagmentatas esse, ut secerni iam nequeant [1]). Itaque certe summa cum cautione haec res est suscipienda.

Primum haudquaquam satis habendum est demonstrasse hoc vel illud distichon si sublatum fuerit, nihil quidquam desiderari, neque haec suspicionis iusta causa est, si qui versus sunt explicatu difficiles, nedum si deformati: tales quidem versus ut recte eiici pateat, alias causas accedere necesse est. — Certissime deprehenditur distichon aliquod spurium, si eo contraria proximis sententiis afferri patet; itemque si abhorret a tota sive carminis sive loci sententia, vel verborum continuationem prohibet disicitque, vel omnino cogitationis, cui additur, vim atque efficacitatem attenuat. Quamquam quoniam sine dubio eruditi homines et versati in litteris fuerunt, qui Ovidianas epistulas tractare susceperant, tales versus rarius inveniri persuasum habeo.

Deinde plerumque illi quoque versus subditicii habendi sunt, qui repetunt cogitationem, quae satis clare et absolute expressa est proximis verbis, itemque ei qui diutius in sententia aliqua amplificanda et augenda commorantur, ubi iustam huius rei causam abesse patet. Neque enim languide et distracte argumenta sua exponere Nasonem cogitandum est. Atque cognoscuntur tales versus adulterini ea re, quod verba quae sequuntur non ad proxima adnectuntur, sed ad priora. — Verum haec argumenta, si fieri potest, augenda sunt grammaticis et metricis rationibus. Sed cum et accurate imitati sint grammatici Ovidianum sermonem et in illa potissimum quaestione, num quid apte dictum esse videatur, diligenter cavendum sit nobis, ne nostro iudicio nimium tribuamus, non omnibus locis illa indicia praesto sunt.

His igitur legibus, quas partim duce Heynemanno (de interpol. in carm. Horat. certa ratione diiudicandis, diss. Bonn 1870) statui, ducti eos colligemus versus, qui vel aliis et mihi vel soli mihi adulterini videntur, sepositis tamen quibusdam, quos

---

1) Velut IV, VII, XIV, XVI epistulas accuratius perlegens, quamquam in compluribus locis, cum iustum desideres ordinem vel nimiam deprehendas abundantiam, haerebis, tamen interpolationes ut certa ratione discernantur, non continget.

etsi suspectos habeo, tamen condemnare nunc non ausim. Quamquam ego non tantum mihi assumo, ut aut omnes versus spurios me invenisse aut non nisi vere certoque subditicios obelo significasse affirmem.

§ 2.

Atque, ne omnis nostrae commentationi desit ordo, primum illa colligemus disticha ficticia, quae sententias vel proxime vel pluribus interpositis sive praecedentes repetant, sive sequentes praeripiant paulisper mutatis verbis.

Verum tales indagantibus nobis versus summa opus est cautione. Nam, ut saepius observatum est, hoc poetae qui disticbi forma utuntur maximeque Ovidius habent proprium, ut cogitationem aliquam fortius producturi eam repetant altero disticho diffictam atque denuo gravius distinctiusque expressam. Itaque nonnulla disticha, quae hic aut ille homo doctus ut otiosa suspectaverunt, nos cautiores retineamus.

Atque Lenzius falso in suspicionem vocavit v. II, 29, 30, quos genuinos esse nunc omnes recte consentiunt homines docti. Minus etiam concedendum est Sedlmayero (l. c. p. 80 n. 60 sub finem) spurios esse versus XVII, 121 sq., quoniam 'nihil nisi repetatur illis sententia quae insit in v. 119, 120'. Nam tantum abest, ut in hoc disticho eadem exponatur sententia atque in proximo disticho, ut intendatur novaque imagine minime vulgari augeatur oratio; neque ulla alia causa confirmatur Sedlmayeri sententia. Quod enim secutus Eschenburgium[1]) productam vocis 'credis' syllabam 'is' apud Ovidium nusquam inveniri dicit, inde hoc unum concludere debuit locum coniectura esse tentandum. Fortasse igitur collato versu XV, 143 scribendum est 'credis et hoc nobis?'; nihil vero affirmo.

Atque similiter alii erraverunt alios condemnantes locos, quos cum eorum coniecturae non sint probatae, singillatim refellere supersedeo. Unum locum accuratius tractare liceat, quippe in quo sit, quod offensionem praebeat, versus ep. I, 111, 112,

---

1) Metrische Untersuchungen über die Echtheit der Heroides des Ovid in progr. Lubeccensi a. 1874 p. 18.

quos Schenkelius (in Philologi t. XXXVI p. 175) deleri vult, cum alii alias de toto loco coniecturas exhibeant. Ut omittam Matthiae et Heinsii et Lindemanni coniecturas, qui a falsa codicum lectione 'hoc'[1]) (103) profecti sunt, Wiedeburgius v. 107, 108 post v. 98 posuit nihil, opinor, proficiens. Lehrsius nullum inde a versu 87 usque ad extremum interpolationibus liberum putat. — Omnes, praeterquam quod Schenkelius cogitationem contra Ovidii morem repeti false statuit, ea maxime re nisi coniecturas proponunt, quod in v. 99 usque ad finem cogitationum ordo plane sit turbatus. Sedtamen huic rei aliam medelam praesto esse puto.

Sine dubio magnae procorum turbae (88—96), ut appareat, quam cito opus sit auxilio, opponuntur tres imbelles, qui illis resistere non possint (97—98). Versibus 105—109 apparet hoc, illos nihil contra procos valere, accuratius exponi. Illud igitur enuntiatum 'tres sumus imbelles ...' (97 sq.) et quod sequitur 'sed neque Laertes ...' (105—109) inter se artissime coniungenda sunt, et alterum excipi necesse est ab altero ut ab apodosi. Quod fieri non potest, si sex versibus (99—104), quorum quattuor plane alienam praebent cogitationem (99—102), intermissis interrumpitur nexus sententiarum. Sed alio loco, ut illa de Telemacho (99—102) commemorentur, desideramus. Postquam demonstravit Penelope se tres esse infirmos ad defendendum, iterum sequuntur preces, quibus orat, ut filius vivat sicut 101, 102, et graviores afferuntur causae, cur Ulixis reditus vehementer desideretur (111 sq.). Ibi primo dicitur de Telemacho. Nonne igitur his verbis 'est tibi sitque, precor, natus ...' (111) praecedere opus est, qua de causa ita loquatur Penelope? Iam vero distichon 107/8, quod circumscribi vult Schenkelius, orationem interrumpit. Nam primo obtutu apparet in hoc aliam

1) Coniecturarum quae propositae sunt Lennepi 'huc', quod cum verbis eundi similibusque fere coniungatur, non est probandum. Utrum autem Merkeli 'hinc' an Palmeri 'hac' (sc. parte) potius recipiendum sit, dubium esse potest. Utraque facilis est coniectura convenitque sententiae; 'faciunt' autem eodem usurpatur sensu, atque praebet a. a. III, 762.

esse constructionem atque in proximis. Neque vero ob eam causam delendi sunt versus 107/8; necesse enim est, cum tres antea nominatim enumerati sint imbelles, de tribus quoque accuratius exponi. Optime igitur cum Riesio collocantur post v. 110. Atque cum etiam priora de Telemacho verba hoc loco inserenda esse demonstraverim, ita versuum seriem mutari velim, ut hoc ordine versus, de quibus dixi, sese excipiant: 87—98, 103—106, 109, 110, 107, 108, 99—102, 111—116.

Ita de Telemacho ut de omnium carissimo in media oratione dicitur tribus distichis, de ceteris et duobus, quae praecedunt, et duobus quae sequuntur. Inserta autem sunt post v. 98 verba 'Hinc faciunt ... harae', quae quominus parenthesis habeantur, cum sententiam addant proximis verbis finitimam, nihil obesse puto.

§ 3.

Sed, ut redeamus ad propositam rem, illius generis haec fere additamenta esse censeo. — Primum quidem affero locum III, 17—20, quos versus primus Aron quidam Battaleus, nunc Lehrsius quoque (l. c. p. 53) eiecit. In eis duplicem deprehendi interpolationem persuasum habeo, alteram recentiorem, quae repetat antiquioris sententiam. An v. 19/20 aliud fit, nisi repetuntur ac paullo fusius explicantur verba 'volui reverti, sed me qui prenderet hostis erat'? Accedit quod illa vox 'caperer ne nocte timebam,' quocunque modo tentata est, nequaquam sanam praebet sententiam. Neque coniectura 'forte' medelam affert. Atque omnino sermo inelegantior atque durior est, quam ut vel ei, qui composuit v. 17/18, assignari possit. Sed hi ipsi versus varios movent scrupulos. Vox enim 'hostis' nullo pacto aliter nisi de Troianis intellegi potest, quo quidem facto quam absurda evadat sententia vides. Neque minus offensionis habent versus illi ideo, quod digressionem a toto loco alienam eis contineri omnis rerum verborumque continuatio docet. Nam v. 21 adnectendus est ad v. 7—16.

Eiusdem epistulae versus 87/88 non modo molestam praebent proximae cogitationis repetitionem, sed aliis quoque de causis optimo iure a Lehrsio (l. c. p. 53) delentur.

Cuius hoc unum liceat repetere argumentum, quod imperativus, qui duobus conficiatur syllabis brevibus, non fere ponatur a Nasone ita, ut altera syllaba elidatur. Nam, quos solos huic legi contrarios affert locos (a. a. II, 489; Met. XII, 309; 490; XIII, 381), una quamvis pusilla non tamen neglegenda re differunt a nostro loco, quod syllaba elisa non cadit in arsin.

Versus V, 44, 45 Heinsio auctore nonnulli suspectos esse, alii, ut nuper editores Angli, retineri voluerunt.

Versum 45 in priore parte nihil praebere novi, in altera idem continere, quod melius et aptius in proximo versu dicatur, primo obtutu apparet. Praeterea suspiciosus est prior versus. Commemoratur Paridis magnus erga Oenonen amor, qui in ipso discessu luculentissime apparuerit, versibus:

43 Flesti discedens . . .
45 Et flesti et nostros vidisti flentes ocellos:
Miscuimus lacrimas maestus uterque suas.
Non sic adpositis vincitur vitibus ulmus,
Ut tua sunt collo brachia nexa meo.

Quae inserta sunt verba

43 . . . hoc saltem parce negare:
Praeterito magis est iste pudendus amor,

illa non aliud nisi duplex parenthesis haberi possunt, quae orationi cogitationem minime aptam ac plane alienam addit. Nam neque antea dictum est Paridem Oenones amoris puduisse, neque ulla extat causa, cur hoc loco repente Oenones amor cum Helenae comparetur. Qui vero nobis persuadere possumus poetam, ut in illis fit verbis, Oenonen inducere voluisse claris verbis concedentem, Paridem ipsius posse pudere? cum postea haec illi verba assignaret (v. 83 sq.):

Non tamen ut Priamus nymphae socer esse recuset,
Aut Hecubae fuerim dissimulanda nurus.
Dignaque sum et cupio fieri matrona potentis,
Sunt mihi quas possint sceptra decere manus.

Deletis igitur v. 44/45 haec restat parenthesis aptissima ‘hoc saltem parce negare’ (scil. te flevisse), quae sine dubio fuit

causa, cur aliquid addi posse putaret grammaticus quidam sive lector quicunque.

Ep. VI, v. 31—38 a Merkelo, Palmero aliis circumscribuntur, cum Riesius eos delere dubitet. — Si versuum, qui in Puteaneo libro desunt, numerum computaverimus, ibi eos versus olim lectos esse intellegemus. — Qui cum retractent ea, quae iam v. 9—14 dicta sunt, postea interpositi esse videntur propter verba 'singula dum narrat' (39), quae fortasse longiorem poscere videbantur expositionem. Praeterea haeremus in enuntiato 'ut rediit animus', cum antea non sit dictum Hypsipylen animo esse relictam. Ubicumque enim Naso de femina aliqua simile aliquid habet (velut ep. XIII, 29 et 23; a. a. III, 707; F. III, 333; V, 515), nunquam omisit antea narrare eam palluisse et intermortuam esse.

Atque etiam iterata de Jasonis vita quaestio scrupulum movet, et quod poeta antea illum vivere teste deo affirmantem induxerat hospitem et quod in proximis versibus hanc plane omittit interrogationem. Sermonem vero, etsi non abhorret ab Ovidiano dicendi usu, attamen certe multo exiliorem et aliquanto minus ornatum esse apparet quam priora illa verba (velut cf. v. 10 et 32, 11 et 33, 13 sq. et 37). Atque illud 'devictus serpens' a totius loci constructione alienum est neque tamen emendationi ulli sese offert. Coniecturis non est tentandus locus. Nam si legeremus 'devictum serpentem', languida esset oratio et desideraretur copula, sin 'devicto serpente', temporis ordo non servaretur. Nonne paene putandum est ideo tam abrupte positum illud esse, quod taeduit interpolatorem omnia iterum longius exponere? Denique quin perbene sequi possint versus 39 sq. versum 30, non dubito. Itaque deleantur v. 31—38 necesse est.

Idem statuendum esse censet Lehrsius (l. c. p. 66) de versibus IX, 83—102. Certe non solum omnia, quae hoc loco ab Hercule narrari finguntur, iam commemorata erant a Deianira (cf. 67 et 90, 37 et 92, 22 et 86 etc.), sed etiam praeclara Herculis facta indignaque illa eius condicio ut cum ludibrio sibi opponantur, neque languida opus est repetitione, et satis superque efficiunt ceteri versus (57 sq.). Accedit

quod hoc consilio in universum factorum fortium mentio fit v. 105:

'I nunc tolle animos et fortia gesta recense.'

Denique Lehrsius servilem quandam imitationem Ovidiani loci Met. IX, 176 sq. adesse statuit. — Sed haec omnia non sunt argumenta satis firma, et cum in fonte quoque huius epistulae similis sit laborum Herculeorum index ab Hercule ipso datus (Soph. Trach. 1094—1102; cf. Birt in Mus. Rhen. XXXII, p. 407), maxime dubium videtur, num versus illos in suspicionem vocare liceat.

Minus remoti esse a suspicione videntur versus, qui praecedunt, quos statim addere liceat. Lehrsius v. 65—82 delet offenditque, et quod tanta cum loquacitate haec de Hercule apud Omphalen morante narrantur et quod, praesertim si conferuntur 55—64 atque 111 sq., veri dissimillima esse iustumque modum excedere videntur. Mirum praeterea est, quod inde a versu 60 usque ad 82 septem ex undecim pentametris ita clauduntur, ut duo tantum verba expleant versum dimidium, quorum alterum, infinitivus perfecti, in easdem desinit syllabas. Talis aequabilitas ut est tenuis versificatoris, ita sine dubio abhorret ab omni elegantia atque eloquentia Ovidii, qui summa arte variare novit versuum structuram[1]). — Neque tamen versus 65—72 ullum movent scrupulum, atque etiam quae sequitur sententiam defendi a. a. v. 219 notum est. De relicuis versibus hoc monendum est. Versus 81 et 83 desunt in optimo codice, in ceteris libris mirum quantum scriptura fluctuat, ut recte Sedlmayerus (l. c. p. 75) concludere videatur eos, ut nunc extant, non fuisse in archetypo. Deinde neque intellegitur, cur poeta in describenda nendi ratione diligentia paene fastidiosa versatus sit, et ridiculum in modum Omphales in Herculem effertur imperium. Sed quod maius est, nondum legitur haec fabula apud Ovidianae aetatis scriptores (cf. quae citavit O. Jahn, Sitzungsberichte der Sächs. Ges. d. W. 1855 p. 224 sq.), sed debetur posteriori tempori, quo in picturis qui-

---

1) Rarissime hanc versuum formam inveniri apud eum docet Eschenburg (l. c. p. 29).

dem eam delineatam et a poetis (velut a Luciano) narrari videmus. Praeterea offendimus in constructione v. 77 subito et durius mutata. Itaque v. 74—83 interpolatoris alicuius esse videntur, et fortasse ita cum v. 73 nexus est efficiendus:

73 Inter Ioniacas calathum *tenuisti* puellas,
84 Factaque narrabas dissimulanda tibi.

Videtur hac re coniectura mea fulciri, quod saepius ita a poetis feminae dum fila deducunt et omnino inter operas muliebres narrantes inducuntur fabellas. cf. Tib. I, 3, 85; Verg. Georg. IV, 334; Ov. Met. IV, init.[1]).

§ 4.

Et ille quidem locus exemplo nobis est, quod doceat, quemadmodum genuinae poetae sententiae amplificatae et auctae sint.

Adiungo hoc exemplum: IV, v. 137 sq. Sedtamen si de his disputaturi sumus, longius recedendum est, ut primum statuatur, ubi morantem velit poeta Phaedram cogitari. Nunc enim ex epistulae verbis concludi fere solet eam et ipsam Troezene, ubi Hippolytus privignus apud cognatos educatur, habitantem fingi. Neque vero recte hoc fieri puto.

Notum est in Metamorphoseon l. XV, v. 500 sq.[2]) Athenis versantem eam a poeta induci: idemque in hac epistula fieri mihi videtur. Certe non repugnant huic sententiae versus 7—9, ubi se cum amato loqui conatam non esse dicit; nam quando aut quo loco illud fiat, non additur; neque e v. 39 sqq. tale

---

1) Addere liceat primum aliam viam hanc tractandi epistulam me ingressum fuisse. Cum enim in fine epistulae inde a v. 143, ubi alteram partem incipere patet, per strophas deduci orationem non sit neglegendum, atque in relicua quoque epistula non paucis locis simillimae structurae indicia appareant, ut seni versus arctius cohaereant, eam quidem omnino a Nasone in hac epistula adhibitam esse putaveram. Sedtamen cum in nulla alia epistula non dubia talis conformationis strophicae indicia deprehendere possem, atque in hac ipsa epistula, si eam restituere voluissem, versus ceteroquin non suspecti eiiciendi fuissent, non satis certa ratione me processurum esse intellexi.

2) Ex F. VI, 737 sq. nihil colligi potest de hac re.

aliquid concludi potest. Vertitur autem quaestio in v. 105 sq. recte intellegendis. Hunc locum Birtius, ut doceat Phaedram Troezene habitantem fingi, ita interpretatur (l. c. p. 403 n. 2): 'Tu, Hippolyte, in silvis degis, sed ego comes tibi veniam neque feras timebo. Ubi Isthmon (inter oppida Celenderin et Methanam) maria duo plangunt, ibi (inter saxa) tecum Troezena colam, hoc est: rure Pittheïo ipsam urbem Pittheïam mutabo; iam nunc, hoc est, iam antequam in agris Troezeniis tecum mihi consuetudo est, Troezen mihi gratior est ipsa patria.' Sed haec nimis contorta et coacta interpretatio esse mihi videtur.

Quid enim? si ipsa iam Troezene versaretur, num, ut exprimat se rure ipsam urbem mutare in animo habere, eam uti posse putas voce 'Troezena colere' atque insuper addita accurata significatione 'Pittheïa regna'? Atque v. 108 omni vi careret, si eum ita, ut voluit Birtius, interpretaremur. Plane aliter se res habet, si Athenis epistulam mittens cogitatur. Tum optimo iure totam illam accuratiorem addit descriptionem, tum perbene 'iam nunc' Troezena ipsa patria sibi gratiorem esse affirmat, quippe quia amatus ipse ibi versetur. — Atque cogimur, ut ita locum intellegamus, versibus, qui proxime sequuntur. Narratur Thesea abesse atque versari apud Pirithoum, ut — aliter versum 110 interpretari non possumus — amici intersit nuptiis. Non igitur illa Euripidis fabula sumitur, Thesea cum Phaedra Troezena profugisse, neque ullus alius epistulae locus hoc demonstrat, sed ibi remansisse fingitur Phaedra, ubi antea cum Theseo habitaverat, Athenis[1]).

Nunc versus ipsos aggrediamur variis modis vel explicatos vel emendatos: IV, 137 sqq.

---

1) Haec admodum gravis discrepantia est Ovidianae epistulae et Eurip. Hippolyti, quem illius fontem esse censet Birtius (l. c. 402 sq.). Neque quas affert similes utriusque poetae cogitationes, cum paene tralaticiae sint, eam habent vim, ut hominis docti fulciant sententiam. Externa fabulae species propius accedere videtur ad Sophoclis Phaedram deperditam, ut inde aliquo modo pendere Nasonem rectius statui videatur a Welckero, griech. Trag. p. 402.

Versum 137, ut in libris est, varie defendere voluerunt homines docti, sed omnes interpretationes eum plane corruptum esse testabantur. Nunc, ut ceteras omittam coniecturas, ingeniose Palmerus[1]) medelam adhibuisse aut certe iustam aptamque sententiam versui intulisse videtur ita:

'Nec labor est celare — licet peccemus — amorem'.

Expositura igitur est Phaedra sibi et Hippolyto licere coram omnibus inter se amare, quoniam cognati sint, atque haec explicat v. 137—140 et 145, 146. Versus 141, 142 circumscripsit Shuckburghius; neque dubito, quin, quod praebent sententiam tritam ac vulgarem et a toto loco plane alienam, delendi sint. Non sane illustrare vult poeta, quae difficultates subeundae non sint amato. — Neque vero v. 143, 144 liberi sunt a suspicione: ille, quod non una in domo tum vivit uterque, hic, quod minimè ex Hippolyti natura dictus est (cf. 73 sq. 165 sq. 173). Atque etiam magis forma, qua vestiuntur cogitationes, est exilis ingenii. Nam etsi apud Ovidium appareant versus, qui in altera parte prioris verba vix mutata repetant, tales versus duos sese excipientes nunquam posuit.

VI, 85—92. Hi quoque versus suspicionem movent, quamquam sermo vix differt ab Ovidiano.

Enumerantur enim malae Medeae artes atque eae, ut e v. 83 et 93 sq. concluditur, quibus emeruerit coniugem. Arctius enim definiuntur in versu 93:

'Male quaeritur herbis .... amor'.

Eae vero indicantur v. 83, 84, cum ceterae eius artes potius praetermitti videantur et significari voce, 'et quae nescierim melius'. Nam ubi concluditur, quantum periculum immineat ab illa Jasoni (95—98), illae de quibus loquuntur v. 83, 84 monstrantur v. 97, 98: at quae adduntur 85—92, earum ibi nulla fit mentio. — Si vero accuratius in versus illos 85—92 inquirimus, monstra quasi quaedam artium sine ordine correpta in eis contineri videmus, quae quin ex maiore illa

1) Edidit eam coniecturam Sedlmayerus in commentario critico ad locum illum.

de Medeae artibus narratione Met. VII, 192 sq. sint conflata, vix dubito.

Atque pronomen 'illa' ter ieiune in versuum sese excipientium initio positum haud scio an inscitiam sectatoris alicuius Ovidii et insulsitatem redoleat, quoniam haec iteratio ex artificiis esse videtur conglutinandi cogitationes, quae haudquaquam inter se cohaereant. An ipsum pronomen adeo erat premendum[1])? Apparet igitur additos esse versus eos a grammatico aliquo, qui plura de Medeae artibus desiderabat.

Similiter aucti sunt X epistulae v. 83 sq. Sunt hi versus vario modo tractati, quos ab interpolatore depravatos esse complures censuerunt homines docti. Quae in illis exponitur cogitatio, haec est: Ariadne deserta vasta in insula (60) sexcentis cirumdatur periculis. Talis autem, ut nunc versus se habent, illa est explicatio, ut ab Ovidio non videatur esse profecta. Incipit ab illis periculis, quae sibi a feris immineant (83—86); addit maris monstra (87) et quae ab hominibus timere debeat (88); orat denique, ne in servitutem abducatur tam nobili e genere orta (89—92). Tum vero, quae singillatim enumerata erant (83—87), ea complectuntur versus 93, 94, 96 et in mediis his adiungitur 95:

Caelum restabat. timeo simulacra deorum.

Denique cum v. 88:

Quid vetat et gladios per latus ire meos?

iam hominum mentionem fecerit, ne hominibus quidem, si quidem in insula sint, se fidem habituram esse asseverat.

Talem sententiarum confusionem non esse boni poetae satis apparet.

Primum si genuinus esset versus 88, sequi non posset versus 97, non certe illa expressus forma. Hanc autem formam (97) unam usurpari potuisse docent versus 60 sq., quippe in quibus se nescire, num habitarent in insula homines, dixerit.

---

1) Non Ovidium nisi iusta de causa hac anaphorae figura uti docet *H. Schütze:* Quaestion. Ovidian. p. I. Progr. progymn. Spandau 1861 p. 11 sq.

Atque tam suspensa et obscura sunt illa verba (88), ut ab Ovidio profecta non esse videantur. Itaque recte Riesius versum delet. Versus autem 83—87, quos cum v. 88 circumscribi vult Sedlmayerus (comment. crit.) ut abiudicemus Ovidio, idoneis rationibus non adducimur.

Deinde a Lennepio versus 94, 95 eiiciuntur, cui non esse assentiendum Loersii est sententia. Sed quae hic attulit contra illius sententiam, probari posse non videntur. Nam etsi concedendum est ab heroinis (non solum XIII, 93, 94) saepius significari res, quae postea evenerint, tamen cum v. 95 ad Bacchum referret Loersius, erravit. Significari bene interpretatur Palmerus 'vanas umbras' vel 'somni visa' (cf. her. IX, 39; am. I, 6, 9). Quam vero exiguus esset hic timor prae vitae periculis! Adde quod sententiae 95, 96 pessime connexae sunt, quod enuntiatum 'caelum restabat' omnino non quadrat ad sententiam. Hoc quidem addidisse videtur lector, qui memor fuit Met. VIII, 177 sq., Fast. III, 510 et, quod ad orationis formam pertinet, a. a. II, 37. Porro cum vividis coloribus malam suam condicionem descripserit, quam ineleganter et exiliter comprehenditur periculorum enumeratio verbis:

Si mare, si terras porrectaque litora vidi,
  Multa mihi terrae, multa minantur aquae,

praesertim cum denuo conclusio fiat hoc pentametro:

  Destituor rapidis praeda cibusque feris.

Atque ipsa illius distichi (93, 94) forma ('si — si' 'multa — multa') haud scio an operam ineptam versificatoris alicuius indicet.

Itaque illos quoque versus 93, 94, 95 adulterinam amplificationem genuinae cogitationis esse puto.

Restant versus 89—92, in quibus haesit Lehrsius (l. c. p. 63 'der sehr unzeitig erwachende Ahnenstolz'). Sed dubium est, an non ob eam causam versus condemnari possint ceteroquin nihil vituperandi (cf. Koch, 'Zusätze zu den Adversarien' in Jahni annal. phil. et paed. vol. 87, p. 148).

Delendos igitur esse censeo v. 88, 93—95; atque ut prior

cogitatio (83—87) suam habeat clausulam, adnectendus est v. 96 ad 87. Optime autem v. 89—92 post v. 98, quippe in quo primum sermo sit de periculis, quae ab hominibus immineant, ponuntur, ut hunc habeamus v. ordinem: 83—87, 96—98, 89—92, 99 sq.

Versus XII, 169—171, in quibus Medea se ab artibus suis plane desertam ne dormire quidem posse queritur, compluribus eisque satis gravibus de causis suspiciosi videbantur Lehrsio (l. c. p. 67). Facere non possumus, quin ei assentiamur, atque quoniam nullo pacto v. 169—171 cohaerent cum proximis, eos delere non dubitamus. Medea enim usque ad v. 166 se sibi ipsi non posse mederi exposuerat atque versus 167:

Ipsi me cantus herbaeque artesque relinquunt,

aperte concludit hanc sententiam, ut certe parum elegans esset, si priore orationis parte finita novum aliquid atque id multo infirmius prioribus adderetur. — Versum autem 172 non esse coniungendum cum proximis, quae antecedunt, sed cum eis quae sequuntur, hoc quidem facile intellegitur.

Atque cum non exprimat v. 168 id quod dicendum esse apparet — neque enim omnino nihil agunt Medeae artes, sed in ipsam Medeam nihil valent — hunc potius versum cum tribus illis 169—171[1]) deleamus, retineamus v. 172.

Fortius ut efferret poetae cogitationes, ille voluisse videtur, qui composuit v. VIII, 77 sq. Helenam quoque matrem raptam esse ibi narrat Hermione, cum omnes sui generis feminas 'aptam rapinam' fuisse doceat. Atque cum antea de unaquaque rapina uno tantum disticho dixisset, de matris per quattuor agit, quorum duo 77—80 spuria esse existimo.

---

1) Versum 170 in codicibus corruptum extare minime urgeo, quoniam Palmeri coniectura:

'Et tener a misero pectore somnus abit',

illum sanatum esse puto. Merkeli enim inventum non convenit Ovidiano sermoni (cf. Met. VII, 329, 667); illud autem ipsa codicis Puteanei vestigia sequitur: 'habere' pro 'abire' ille etiam ep. II, 47 praebet, et hoc verbo corrupto orta esse videtur cetera corruptela.

Nam primum quidem mirum est, quod omnes Helenae cognatos tum, cum ipsa rapta sit a Paride, in Menelai aedibus adfuisse fingitur; etiam maiorem habet suspicionem, quod, cum ceterorum nomina reticeantur, ipsa Phoebe soror ibi commemoratur[1]); quid vero puerilius excogitari potest, quam semideos dioscuros flevisse? plane intolerabilis autem tota fit sententia addito disticho 79, 80. Quid enim? his ipsis verbis 'sine me, mater, abis', quodcunque de luctu illo narratur, nonne in illud ipsum temporis momentum differtur, cum Helena esset profectura? quae quidem absurdissima esset cogitatio. — Accedit quod haec tota de Hermionae luctu narratio non concinit cum v. 91 sq., ubi se ne cognovisse quidem matrem dicit illa.

His quidem satis effici puto delendos esse quattuor illos versus. Atque vix urgeri necesse est eam rem, quod ne sermonem quidem Ovidio dignum esse appareat. Nam et in versu

Ipsa ego non longos etiam tum scissa capillos

'parum eleganter' (ita Loers.) dictum est 'non longos capillos', et particula 'etiam tum' vel, quam praeponit Heinsius, 'etiamnum', tam inepte additur, ut de corruptela cogitandum esset, nisi aliis gravibus de causis versus subditicius cognosceretur. Ovidio igitur tribuenda non esse videntur duo illa disticha, sed interpolatori alicui, qui proximos versus 75, 76 paulum amplificare voluit. — Palmerus hoc quoque distichon 75, 76 circumscripsit maxime nisus loco simillimo IV, ep. v. 53—62. Atque certe sermonem parum accedere ad Ovidianam elegantiam dicendum est, praesertim cum exile illud connectendi cogitationes artificium hoc ipso loco appareat ('memini' — 'memini'; 'omnia' — 'omnia'), quod quidem saepius in locis omnino suspicioni obnoxiis deprehendimus. Sedtamen filiam matris memorem rapinae diutius in describenda illa re immorari non ita inepte fingitur a poeta. (cf. ep. I, 105 sq. ubi de filio longius item loquitur Penelope.)

Illud vero enuntiatum 'nam coniunx aberat', etsi aliquo modo offendere potest, quod insolentius ita de patre dicitur a

---

1) Ovidius uno tantum loco de sorore aliqua Helenae loquitur, a. a. III, 11.

filia, ea de causa in suspicionem vocari nolim, quod intellegi vix potest, qui factum sit, ut grammaticus quidam illa poneret pro eis, quae Palmerus censet versum explevisse. Itaque dubito num Palmero sit assentiendum, atque, siquidem interpolatio est in v. 75, 76 et 81, eam iam non plane secerni posse et priusquam quattuor illi versus irrepserunt, adfuisse puto.

§ 5.

Iam vero plane novas cogitationes inseruerunt, ut expleretur lacuna, quam in poetae narratione dignoscere sibi videbantur.

Atque I, 37 sq. narrationis fontem explicatius addere voluerunt. Qui versus 37, 38, cum praeterea dictionem nimis ieiunam ac molestam Ovidio certe indignam esse appareat, optimo iure a Riesio delentur. Penelopen enim totum bellum Troianum accuratius cognovisse initium epistulae docet. Cumque ibi in universum dicat, 'sive quis narrabat' h. e. se modo ab hoc modo ab illo de bello Troiano nuntios accepisse (cf. v. 25 sq.), hoc loco eam omnia a Nestore per filium, hoc est decem post bellum annis tandem comperisse, absurde sine dubio additur. Quodque ad versuum dictionem attinet, satis displicet admodum implicata et inficeta verborum collocatio.

Sed hoc disticho remoto nondum sanus est locus. Nam quod sequitur distichon tam arcte cum huius constructione et sententia coniunctum est, ut, si illud deleatur, hoc quoque aut omnino circumscribi aut totum refingi necesse sit. Ne enim v. 37, 38 parenthesis instar interpositos esse dicatur et versibus 39, 40 continuari ea quae v. 31—36 narrantur, ea res impedit, quod antea praesente, hoc loco perfecto tempore utitur poeta (monstr*at*, ping*it* et re*tulit*); neque ad vividum colorem poeticumque haec humilia et languida verba quadrare videntur. Praeterea neglegentior est in v. 40 illa oppositio, quae sine dubio consulto quaesita est; neque pro 'dolo' ulla poni potest vox, quae cum voce 'proditur' coniuncta vocabulo 'somno' sit opposita. Atque illud ipsum enuntiatum 'dolo prodi' vereor, ut iuste apteque ponatur. Itaque hoc quoque distichon abesse malim.

Denique scrupulus iniectus est de versuum collocatione. Incipit Penelope exponere, quaecunque de coniuge timuerit, atque usque ad v. 22 nondum commemoratur periculum, in quo re vera coniunx versatus sit. Atqui concludunt hanc partem verba

22. Sed bene consuluit casto deus aequus amori,
Versa est in cineres sospite Troia viro,

unde haud scio an putandum sit in versibus proxime antecedentibus de Ulixis ipsius periculis dictum esse. Tum pergit exponere ceteris uxoribus maritos suos rediisse, atque quod huic oppositum expectatur, sibi non rediisse suum, hoc quidem decem versibus intermissis, quorum quattuor delendos esse censemus, demum sequitur v. 47 sq. His causis commoveor, ut versus hoc ordine collocandos esse censeam: 22, 41—46, 23—36, 47 sq.

Fabulas quasdam supplendas esse duobus locis, qua erant mythologica doctrina, opinati esse videntur grammatici.

Ep. V, v. 151, 152 iam dudum homines docti spurios cognoverunt. Tam enim supervacanei sunt, quam orationem moleste interrumpunt. Postquam Oenone ab Apolline sese omnes herbas, quibus morbi sanari possent, cognovisse narravit, in extrema epistula elegantissime ad amorem redit suum, quem herbis non esse 'medicabilem' quam acerbissime luget. Et in mediam hanc cogitationem inseruntur haec verba:

Ipse repertor opis vaccas pavisse Pheraeas
Fertur et e nostro saucius igne fuit.

Iam vero non poetae elegantissimi sed balbutientis hominis in modum fabula narratur, quoniam et id, quod summa est orationis, Apollinem se ipsum contra amoris ignem tueri non potuisse ita exponitur, quasi sit minoris momenti, et amoris illius occasio ut caput rerum in lucem ponitur.

Idem statuendum est de versibus VIII, 71, 72, quos ab interpolatore hebetis ingenii additos esse apparet. Nam praeterquam quod totum paene distichon solis nominibus propriis efficitur atque metrica ratio non unam ob causam Ovidiana non

videtur[1]), illud quoque offendit, quod non exprimitur, quod quidem expectatur, Helenam raptam esse a Theseo.

Desiderasse videtur Lemniadum facinoris, quod passim commemoratur ab Hypsipyle (VI), excusationem, qui composuit v. VI, 139, 140:

Lemniadum facinus culpo, non miror, Jason,
Quamlibet iratis ipse dat arma dolor. — (Ita Merkel.)

Sedtamen Lemniadum illud facinus ut excusatione defendatur, neque illa verba eo satis valent, neque omnino postulatur. De se ipsa enim Hypsipyle agit et quod ad illarum attinet scelus, satis premit, se illi non interfuisse. Atque cum in prioribus versibus Hypsipyle Medeae semet ipsam opponens demonstraverit, quam sceleratam ipsi bonae piaeque Jason praeposuerit, atque concludat hanc sententiam aperte disticho 137, 138, in proximis autem 141 sq. ad plane novam cogitationem transeat, illi versus interrupti sunt omnique carent nexu. — Deinde ut non urgeam quod tam ineleganter quam consulto in v. 139 inter se opponuntur verba 'culpo' et 'miror', quae non praebent notiones inter se contrarias: in v. 140, quod in Puteaneo extat, 'quamlibet iratis' plane inepte dicitur. Coniecturis igitur temptatus est locus, atque proposuit Fr. Heusingerus 'quamlibet infirmis' vel 'invalidis', quorum illud novavit Madvigius, et Conr. Heusingerus 'quamlibet invitis'. Iam multo ante aliud quoque vocabulum desideraverat is qui Etonensis recensionem fecit, cum correxerit 'quodlibet ad facinus', itemque medii aevi corrector quidam, qui scripsit, 'qu*ae*libet iratis', quod in nonnullis Heinsii libris est. Neque vero omnino ulla consequemur coniectura hoc, ut satisfiat sententiae, quae, ut ad proxima verba quadret, sine dubio haec esse debet: quodlibet ad facinus vel mitissimas feminas furor (sive ira, dolor) incitat. Atque cum ex am. I, 7, 66 orta esse videantur verba, sunt relinquenda et attribuenda interpolatorum imitandi studio.

Iam vero uno loco hoc consilium fuit grammaticis, ut duobus versibus insertis, quam rem nimis auxisse videretur poeta, eam attenuarent. Sunt v. I, 85, 86 subditicii. Postquam Penelope

---

1) cf. Lehrs Horat. p. CCXXIV. Eschenburg l. c. p. 9, 13, 16 sq.

enumeravit, quae de coniuge absente timuisset et qua ratione eum anquisivisset, inde a versu 81 pergit narrare, quanta sibi mala instent, praesertim cum a patre 'viduo discedere lecto' cogatur. Sed, inquit, increpare illum licere, se semper Ulixi fidem servaturam esse. Tum sequuntur versus 85, 86:

Ipse tamen pietate mea precibusque pudicis
Frangitur et vires temperat ipse suas.

Quae vox primo obtutu suspiciosa videtur, 'frangitur', quippe quae nusquam tali sensu absolute usurpetur ab Ovidio (cf. Tr. III, 14, 32; Fast. I, 301; Met. XII, 349; XI, 730; VIII, 508), sine dubio corrupta est ex 'tangitur'[1]) (cf. am. II, 4, 45; Met. II, 584). Defendi autem non potest enuntiatum 'vires temperat ipse suas'. Ut omittam voci 'vires' vix inesse illam notionem, quae hoc loco significanda est, nunquam a scriptore ullo latino usurpatur vox, 'vires temperare' vel simile aliquid, nisi addito ablativo, quo significetur, qua re vel qua ratione temperetur rei alicui. — Cogitet forsitan quispiam de corruptela, ut Heinsius 'et vires temperat ira suas' atque Riesius 'atque iras temperat ipse suas' proposuerunt coniecturas. Sed illius inventum mirifice a cogitatione abhorret, de hac scriptura idem restat scrupulus atque de codicum lectione. Neque vero mutandum esse quidquam puto; fluxisse enim videntur verba ex epist. e P. III, 6, 24 memoria:

Iustitia *vires temperat ille suas.*

Atque ut illa removeri posset offensio, totius loci sententia cogitationumque nexus parum probabilis est. Apparet enim plane contraria addi aut certe totius sententiae vim prorsus deleri his insertis versibus, si conferas 81 sq.:

Me pater . .
Cogit et immensas increp*at* usque moras,
In*crepet* usque licet. Tua sum . . .

---

1) Fulcitur haec coniectura ea re, quod et facile commutari potuerunt 't' et 'fr' a librariis et revera commutantur interdum velut a quattuor codicibus ep. I, 42 (cf. Palmeri edit. ad l.). Itemque ep. VII, 169 pro 'frangentia litus' legendum esse videtur 'tangentia litus.'

Haec satis esse puto, ut delendos esse duos illos versus, quos nunc Sedlmayerus quoque circumscribi vult (cf. comment. crit. ad l.), statuatur.

§ 6.

Aliud interpolationum genus talibus continetur versibus, qui celebrium sive Nasonis sive alius poetae locorum aut tritarum sententiarum e recordatione originem ducunt.

Saepius formula quadam usus est Ovidius in effingendis obtestationibus (cf. II, 35; III, 105; VIII, 117; XII, 77; 191 al. l.). Hanc secutus addidit aliquis VII, 157

Tu modo — per matrem fraternaque tela, sagittas,
Perque fugae comites, Dardana sacra, deos.

Haec enim si retinentur, inde a v. 157 nova incipit carminis pars, in qua prioribus argumentis Dido preces addit, quibus ex itinere revocet Aeneam. Lehrsius autem eos versus omnino sensu carere dicit. Atque re vera cum alienum videatur ab Ovidio vocem, 'fraternaque *tela*', quam nudam saepe usurpat, addito vocabulo 'sagittas' explicari (cf. ep. II, 40) atque duobus enuntiatis 'fugae comites' enarrari, quasi non statim intellegi possint 'Dardana sacra', cumque versus 159—162 melius adnectantur ad priorem cogitationem, videntur versus illi esse interpolatoris.

Alter locus est XIII, 161, 162, quos versus Palmerus eiiecit. Amplificant autem enuntiatum 'per reditum corpusque tuum' atque id interpositis aliis sententiis. Praeterea haerendum est in v. 161, quoniam Ovidius nunquam usurpavit particulam 'ut' in sententiis optativis pro 'utinam' et 'o si'. Nam Sedlmayeri coniectura, qui poni voluit 'o' pro 'ut', ea de causa non videtur accipi posse, quod certe, ut interpretarentur particulam 'ut', librarios supra scripisse 'o' cogitari potest, contrarium vix potest. Atque etiam enuntiatum 'quod tecum possis ipse referre (caput)', nescio quid ieiuni atque humilis habet; cogitationum denique ordo satis displicet, ut, quin recte circumscribatur distichon, dubium non sit.

E gnomis autem admodum tritis esse videntur ep. IV v. 4, 5,

qui argumenta, quibus Phaedra Hippolyto persuadere studet, ut legat epistulam, augent. Versus enim quartus admodum languidis verbis repetit sententiam 'quid epistula lecta nocebit', atque insuper hoc offendit, quod particula 'quoque' non cum illo verbo coniuncta est, ad quod erat referenda. — Quintus autem versus omni caret acumine atque exilem continet humilemque locum communem. An Hippolyto expositura est Phaedra, quam utile ac bonum sit scriptura? Atque adeo non modo 'sine ulla specie elegantiae' (Burmann), sed etiam vix recte illa res expressa esse videtur voce 'his modis'. Et versui 3 tam apte tantaque cum efficacia adiungitur v. 6, quam omni vi caret, si post v. 4, 5 sequitur.

Itemque quae XIII, 155, 156 exprimitur cogitatio ea est, quae maxime in epigrammatis graecis saepius usurpata sit, velut ab Anacreonte, quem locum affert Loersius in editione. Atque etiam similis invenitur enuntiati forma in Sapphus epistula v. 24. In hoc autem carmine (XIII) illa verba omnino non quadrant ad sententiam. Dum Protesilaus abest, Laodamia, ne amati plane careat aspectu, ceream intueri se eius imaginem narrat; atque tantum esse suum amorem addit, ut vel hanc imaginem, quae referat vultus amatos, blanditiis et amplexibus colat. Has cogitationes Lehrsius (l. c. p. 60) vidit plane turbari disticho 156, 157:

Crede mihi, plus est, quam quod videatur, imago:
Adde sonum cerae, Protesilaus erit.

Etenim imaginis laudes plane absurdum in modum augentur, quasi nihil differat cerea statua et maritus, nisi quod loqui non possit illa; profecto potius insultat ita in maritum et quaecunque antea de desiderio suo dixerat, attenuat abiicitque.

Ter in fine epistularum novas res ab interpolatoribus adnexas esse videmus: XI, 127, 128

Tu, rogo, dilectae nimium mandata sororis
Perfer. mandatis perfruar ipsa patris.

Simillimeque augentur ep. XIV et XIX. XIV, 131 sq.:

Scribere plura libet. sed pondere lapsa catenae
Est manus, et vires subtrahit ipse timor.

XIX, 241 sq.:

Longior infirmum ne lasset epistula corpus,
Clausaque consueto sit tibi fine, vale!

Illud distichon, quod nunc constat esse in Puteaneo, iam ab Heinsio deletum est, deinde ab aliis (ut a Gruppio, Minos p. 462), haec duo a Diltheyo (de Callim. Cydippa p. 147). Atque cum longe plurimi si in extremo aliquo carmine afferuntur tituli, qui vel in sepulcro inscribantur vel alibi, in ultimis extent versibus (cf. her. II, VII; am. II, 6; Tib. I, 9; III, 6; Prop. II, 1; anthol. lat. ed. Riesius p. 81), cumque aliae causae quae aut ab aliis iam commemoratae sunt aut locos vel obiter intuenti patent, tria illa disticha genuina non esse testentur, ea optimo iure eiici puto. Vahlenus[1]) illud ep. XIX ultimum distichon de ea causa non esse delendum censet, quod simillima sit ep. XX clausula, quae illi sine dubio respondeat. At ita, ut fit in ep. XIX fine, vix potest scribere, nisi qui ipse infirmus est. An si de Cydippae 'corpore infirmo' diceretur, nihil amplius addendum erat? Qui vero is, qui primum amatae feminae litteras dat 'de *consueto* epistulae fine' loqui possit, certe non intellegitur. Itaque exile hoc distichon et parum facile interpolatoris esse videtur. Nec mirum est, quod ep. XX clausulae convenienter composita est haec, quoniam sine dubio ei, qui composuit et XIV et XIX ultimum distichon, illa ad imitandum proposita fuit.

§ 7.

Gruppius (Minos p. 475—485) multos ex amoribus Ovidii locos circumscribi vult, quod nimium lascivas contineant cogitationes, quae non Ovidio sed posterioris aetatis interpolatoribus tribuendae sint. Quod quo iure in illis carminibus fiat, hoc loco non sum diiudicaturus, quamquam in delendo longius aequo eum processisse persuasum habeo. Atque etiam in epistulis heroidum nonnulla illo studio addita esse videntur, sed non omnia, quae fortasse illa de causa offendunt, Ovidio abiudicanda sunt.

---

1) 'Ueber die Anfänge der Heroiden des Ovid', qui libellus seorsum editus est ex commentariis regiae lit. academiae Berol. 1881.

Interpolatoris autem sunt V, 140 sq., qui versus inde ab Heinsio delentur[1]).

Versuum ipsorum dictio, praeterquam quod v. 140 profectus esse videtur ex ep. IV, 100; 141 sq., ex complurium locorum memoria velut ep. XI, 92; a. a. II, 452; am. III, 6, 48; 143 e Tib. I, 3, 90 sq., nihil fere offendit; sedtamen sententia ipsa prioribus versibus contraria est (cf. Palmeri edit.). Paulo antea Oenone dixerat sese 'fallenti marito' 'manere castam', quamvis saepe sibi facultas data sit, ut eisdem cum Paride 'legibus' utatur (133 sq.[2])). Hoc loco igitur iactat se in fide sua et castitate, quae vel deos repudiaverit: paulo post contrarium ipsum eam dixisse putas? Neque autem sese castam vocare potuit, quod non sua sponte, sed superata dei voluntati paruerit, cum ipsa de Helena dicat:

131. Vim licet appelles et culpam nomine veles:
Quae totiens rapta est, praebuit ipsa rapi.

Tum tribus versibus idem fere dicitur

145. Ipse, ratus dignam, medicas mihi tradidit artes
146. Admisitque meas ad sua dona manus.
Quaecumque herba potens ad opem radixque medendi
Utilis in toto nascitur orbe, mea est.

Atque oratio deletis versibus 140—145 optime fluit, et cogitatio relicuae epistulae magis convenit.

Cum autem neque in epistulae fontibus haec de Oenone narrata esse videantur neque alio loco, statuendum est ea antiquissimis temporibus extitisse et illata esse in hanc fabulam, nisi a Cassandra ad illam translata esse cum Welckero statuere malis (cf. griech. Trag. p. 1147. n. 3).

Eiusdem interpolationum generis est distichon XII, 111, 112, in quo Lehrsium (l. c. 66) iure offendisse puto.

---

1) Nuperrime Vahlenus (l. c. p. 40) eos versus retineri voluit.

2) Probandum non est, quod Riesius v. 134 coniecit 'sed' pro 'et', quod quidem saepissime idem valet atque 'et tamen' cf. Cic. Tusc. I, 38, 92; Verg. Ecl. V, 80 aliique multi loci.

§ 8.

Restant nobis sex ultimae epistulae tractandae, ad quas cum certe non sint Ovidianae[1]), spurios investigaturis versus eodem modo atque ad genuinos aggredi nobis non licet. Scriptae esse videntur certe non multo post Ovidii aetatem atque fortasse illo ipso tempore, quo epistulae interpolationibus inquinari coeptae sunt. Omnes autem tumore superare genuinas elegias constat; sed vereor ut istius loquacitatis quidquam resecari possit, cum plerumque omnes cogitationes iuste apteque inter se cohaereant. Quamquam cum omnino hoc epistularum genus tale esset, ut poeta in enarrandis explicandisque argumentis certis non circumscriberetur finibus, vel maxima verborum luxuria etiam augeri et amplificari poterat. — Neque multum efficimus, si hoc vel illud non Ovidii more dictum esse statuimus. Nam etsi eos, qui composuerunt epistulas illas Ovidianum sermonem perbene novisse et imbibisse patet[2]), tamen si quando ab eo aberrant, hoc non satis firmum indicium esse censeo interpolationis. His de causis eas a relicuis separavi. — Ceterum

---

1) Hoc pro explorato nunc habere licet, postquam variae de hac re ab hominibus doctis institutae sunt quaestiones, de quibus singillatim disceptare in animo non habeo.

Quamquam non inter infirmiora illius sententiae argumenta hoc numerandum esse equidem censeo, quod Ovidius, cum se heroidum epistulas composuisse testetur, nullo loco de heroum quoque aut de mutuis dicit epistulis. Neque de hac re traditur quidquam Ovidium etiam respondisse aut Sabini aut alius poetae opusculis, ut altera quaeque epistula Ovidii sit. — Mirifice ii faciunt, qui, cum aetate provectum Nasonem illas mutuas epistulas conscripsisse statuant, non dubitare videntur molestam illam et exuberantem orationis abundantiam, qualis apparet in illis, ei assignare poetae, qui ipse adulescens carmina mirum quantum perpolita et aptissima copia et ubertate insignia composuit; quasi vero non progressus faciat homo ingeniosus sed regressus.

2) W. Zingerle (zur Echtheitsfrage der Heroiden), cum omnes XX epistulas genuinas esse demonstrare studeat, hoc solum docet accurate in VI ultimis epistulis Ovidianum dicendi usum imitando expressum esse.

eandem adhibendam esse normam, qua usi sumus in relicuis epistulis, consentaneum est. Accedit in his novum interpolationum indicium, quod cum rarius hucusque apparuerit, nondum premere volui, quod ficticii versus plerumque ita comparati sunt, ut ab aliquo verbo incipiant, quod idem est in proximo versu genuino.[1])

Atque ordiamur ab Acontii et Cydippae epistulis, in quibus quae interpolata esse videantur, in Diltheyi libro de Callimachi Cydippa (p. 137 sq.) circumscribuntur.

Damnavit ille v. 23, 24. Primo statim obtutu apparet in v. 21, 22 et 23, 24 eandem sententiam et quidem illis elegantia quadam et concinnitate, his ineleganter et absurde exprimi. Nexus enim sententiarum hic est: Licet fraude te dicas esse deceptam, dummodo huius causam esse amorem meum concedas (21, 22); nam non sum natura tam callidus (25 sq.). Turbari haec disticho 23, 24 patet; quod quidem insertum esse videtur ab eo, qui ep. II, 27, 28 imitaturus erat. Cumque nec probe latina sit v. 24 dictio nec coniecturarum machinis effici possit, ut relicuae epistulae auctore digna fiat, has causas sufficere puto ad condemnandos versus.

Nec minore iure circumscribuntur v. 43, 44, quippe quos tam abhorrere a loci consilio quam insulse dici perspicuum sit. Nam ut non ita urgeam, quam ieiune voces 'capi' et 'captari' coacerventur atque vertatur uterque versus in eadem cogitatione, tardi certe et inculti ingenii fuit interpolator, qui non viderit se in uno eodemque disticho ipsa contraria coniungere. Nec cohaerent verba hoc servato disticho, nam 'partem' et 'omnia' (45) adnectuntur ad 'nil', quod in v. 42 est.

At extitit huius distichi defensor Sedlmayerus (prol. crit. p. 78 n. 59), qui retinet versus putidos, cum eorum structura similis videatur ei quae est in am. I, 4, 13. Quid vero? quaecunque Ovidianis quibusvis verbis similia sunt, num ea assi-

---

1) Fuit illud in v. I, 37; V, 45. Atque saepius idem observatur in interpolamentis velut Horat. carm. I, 2, 5; ep. XVI, 65 (cf. ed. Hofm. Peerlkamp), Iuv. Sat. VII, 15 cf. Ribbeck, 'der echte und der unechte Iuvenal' p. 128.

gnanda videntur esse Nasoni? nonne perbene sectatores imitatoresque eius noverunt Ovidianum sermonem? At ne ullam quidem similitudinis speciem inter utrumque esse locum luce clarius patet. — Itemque falsus est homo doctus, ut hoc statim addam, cum v. XX, 135 sq. miserrimos retineat ob eam causam, quod profecti esse videantur ex Euripidis aliquo loco. Neque enim si quidem similitudo est inter versus illos et Eur. Hippol. 612, hoc impedit, quominus eos postea insertos esse statuatur; quasi grammatici ita fuerint expertes litterarum, ut illum Euripidis locum famosissimum, qui certe in eis fuit versiculis, quos vel tirones edidicerunt, non nossent!

Non sit forsitan haerendum in v. 69, 70 dictione, at exempla ipsa parum idonea ratione electa sunt. An ea quae, ut Hesione et Briseis, captiva deducitur, sua sponte viro se tradidit, aut ei victorem non sequi licuit? At Cydippa oratur atque obsecratur, ut ultro excipiat Acontium. Itaque iure distichon in suspicionem vocavit Diltheyus.

Itemque quae 101—106 afferuntur exempla, quibus Dianae illustretur ira, aut inepte aut certe sine ulla causa adhibentur. Primum enim distichon non Dianae sed Althaeae enarrat iram. Atque si hoc deletur, duo quoque quae sequuntur resecanda sunt, quoniam artissime cum illo coniunguntur. Neque proxima verba ad illa referuntur, immo v. 107 Acontius cogitationem, quae est in v. 99, 100, amplificare pergit et in Cydippae transferre condicionem.

Tertius locus, ubi false exemplum addi recte cognovit Diltheyus, est XX, 9, 10. Alia enim causa erat Hippolyti, alia est Acontii. Atque sine dubio optimus est sententiarum nexus deletis illis versibus, quorum prior sententiae non videtur aptus.

Versus XIX, 97 sq. ut cum Diltheyo circumscribantur, ea sufficit causa, quod repetunt priora verba (v. 19 sq.). Accedit, quod haudquaquam dicendum erat ‘vidit cum tu *decepta* rubebas’, sed de ipso iure iurando a dea audito moneri debuit. Neque enim omnino causa est, cur de fraude sua verba faceret Acontius. ac ne vocem quidem ‘decipiendi’ usurpari licuit ab ipso. Praeterea hoc quoque distichon adnectitur ad genuinum proximi versus vocabulum ‘dea’.

Deinde quod versus 147—154 delendos esse existimavit Diltheyus, verum perspexit. An non est admodum molestum, quod hoc loco Acontius tamquam furibundus clamorem tollit, cum in proximis versibus, et qui antecedunt et qui sequuntur, quibus eundem alloquitur, multo moderatiorem se praebeat? Atque ipsa verba insani hominis esse videntur. Dicit 158 'postmodo si facies istud, adulter eris'; cur igitur tum ipsum desistat facere, quod postmodo demum non iam liceat? Et graviter offendimus in ea re, quod amatam suam nominat rem, quae suum habeat dominum, quod quidem enuntiatum a iuris consultorum sermone colorem duxit. Atque frigidum certe acumen est, quo (151, 152), ut iterum iuret, amatam commovere studet.

Denique versus 163, 164 spurios esse censuit. Et re vera plane distorta est illa cogitatio; qui enim iam de eventu potest dici, cum nondum pater, nondum filia promissa aut fregerint aut solverint?

In Herus autem epistula cum interpolatorum additamenta extirpare studerent, et Lehrsius (l. c. p. 56 sq.) et Rohdius (griech. Roman p. 135 n. 2) iustum modum transiisse videntur. Neque vero immorandum nobis esse censeo in eorum scrupulis tollendis. Videntur in ea potissimum re haesisse, quod Hero veretur, ne alia puella ab ipsa abalienaverit virum amatum. At nonne hoc usitatissimum Ovidii epistularum argumentum est, quod, ubicunque fieri poterat, longius aut brevius explicavit? Haud inculte anxius sollicitusque Herus amor ita describitur, cum modo ut veniat ille quam celerrime, modo ne nimis audacter subeat mortis pericula, optat, atque modo audaciae modo tarditatis et neglegentiae eum accusat. Atque tales quoque locos illi de medio tolli voluerunt.

Sedtamen Rohdio concedendum est versus 3, 4 et 85, 86, illos, quod tenue tantum et exile continent eorum argumentum, quae proximis versibus fusius et aptius enarrantur, hos, quod non modo 'nimis quaesitam' (ita Loers.) sed alienam a proxima sententia praebent cogitationem, quae optimam turbat orationis perpetuitatem, apertam interpolamenti speciem prae se ferre.

Deinde v. 165—170 suspecti habendi sunt. Luce enim clarius hanc cogitationem a proxima, quae antecedit, discrepare patet, et mea quidem sententia iusto artificiosius ac paene putide est inventa. Versus 166 fluxisse videtur ex III e P. 9, 20.

Porro, quoniam v. 91 'sis tamen *hoc* potius . .' aperte referendus est ad v. 83 'cur sis metuentior undis . .', omnis quae interposita est oratio 85—90, a suspicione non est remota. Cumque insuper v. 89, 90, qui maxime prohibent orationem, molestam praebeant prioris enuntiati (83, 84) repetitionem, hi quidem versus quin ficticii sint, vix dubito, quattuor illos quamvis suspiciosos tollere non ausim.

Permulta Leandri quoque epistulae delet Lehrsius. Cum vero nullis iustis sententias confirmarit argumentis, eis non magnam fidem habendam esse puto. Neque re vera quidquam aliquo iure in suspicionem vocatur, nisi v. 131—134. Qui non solum nimis hyperbolice dicti sunt, sed etiam qua ratione ad relicuam sententiam quadrent, meo quidem animo non patet (cf. Schraderi observat. miscell. VII, 3, 462).

Paridis denique et Helenae epistulas Lehrsius per omnes partes versibus insiticiis auctas esse, quae adeo cum ceteris sint coagmentati, ut iam vix secerni possint, censet. Tantum abest ut, quod doctissimus et sagacissimus homo suscipere noluit, hoc quidem subire coner, ut paucos modo afferam locos, qui maxime mihi videantur suspiciosi.

Paridis epistulae duo loci propter orationem nimis lascivam, qualis in relicua epistula non invenitur, offendunt 157—160 et 247—252. Illi versus eorum, quos sequuntur et quibus excipiuntur, vim magnopere attenuant. Nam cogitationis, qua animum suum fortem ac tenacem laudibus effert Paris seque Theseo opponit, qui Helenam raptam dimiserit, summa haec est: sese vivum nunquam dimissurum fuisse amatam, atque ea invenitur et in v. 155, 156 et in 161, 162. Aliena igitur sententia est, quae exprimitur v. 157—160, atque haud scio an XVI, 29 fuerit causa, cur inserendos hos putaverit aliquis. — Alter locus abesse mihi videtur a proposito, quoniam Paris v. 241—256, quomodo saepius clam Menelao amorem suum indicare stu-

duerit, narrat. Similia atque hoc loco Tibullus I, 6, 17 et Ov. e P. II, 5, 38 narrant, e quibus fortasse hausit interpolator. Sed etsi versuum 247, 248 et 251, 252 dictio nihil offendit, tamen 249, 250 et propter constructionis verborum duritatem, et quod interpolatorum more unum vocabulum ('pectora') genuinum arripitur, et de hoc latius exponitur, tantam movent suspicionem, ut quin hi quidem genuini non sint, dubitari nequeat.

Itemque versus 255, 256, quorum prior repetit, quod multo melius v. 241—246 explicatum erat, fortasse delendi sunt, praesertim cum satis ieiune uterque versus incipiat a verbis 'et modo'.

Sedtamen ut de his non nihil dubitationis relinquitur, ita cur in Helenae epistula quidquam in suspicionem vocetur, nec causas certissimas esse nec si quis versus, quos otiosos molestosve dicat, deleturus est, modum servari posse patet.

Itaque etsi vix spero me omnia recte invenisse, tamen hoc apparere puto et spurios per omnes heroidum epistulas dispersos versus esse et plerumque eos esse spurios agnosci.

Cap. III. De genuinis aliquot versibus, qui omittuntur plerumque in codicibus.

§ 1.

Illa grammaticorum lectorumve eruditorum industria addendi de suo versus, cum per longius temporis intervallum fere conquievisse videatur, medio aevo revixit. Inveniri enim in saec. XIII—XV libris non pauca disticha supra vidimus, quae cum maximam partem non solum pauperculorum sed etiam hominum latino sermone non iam vernaculo utentium, immo ex parte barbaro vel semibarbaro, certe inficeto, fetus esse appareat, optimo iure a genuinis versibus, a quibus ipso sono longe di-

stant, separantur. Sunt qui hac in re eam normam statuant, ut ad unum omnes versus, qui non sint in codicibus melioris notae, omnino deleantur. Sedtamen hanc quidem duorum triumve codicum optimorum fiduciam ceterorumque contemptionem nimiam et immeritam esse censemus. Nam cum facillimo errore et proclivi librariorum incuria versus genuini in illis omitti potuerint, alii foliorum quorundam iactura aut aliis eiusmodi casibus interire, non minus fere credibile est quosdam extare libros, qui, per seriem codicum nobis ignotorum vel non iam superstitum a codice integro derivati, ex codicibus vulgaribus asciverint scripturas interpolatas eoque modo cum ceteroquin degeneraverint et cum illis sensim sint aequati, copiam tamen versuum uberiorem servaverint. Quodsi nexus sententiarum aliquo loco lacunam esse testatur, et in deteriore quodam libro versus extant, qui eam lacunam ita expleant, ut et carminis compagi sententiarumque ordini perfecte apti et dictionis numerorumque arte digni esse totius epistulae auctore videantur, hos in textum, qui dicitur, recipiendos esse puto, atque augetur etiam, ut plane confirmetur, talis accessionis fides, si vel divinare vel cognoscere licet, quam ab causam in relicuis libris exciderint.

Atque primum quidem eorum versuum, quos omisit Puteaneus, omnes relicui libri unum servaverunt distichon, quod esse genuinum certo affirmare licet, XVII, 12:

Mittit Abydenus, quam mallet ferre salutem,
Si cadat unda maris, Sesta puella, tibi.

Neque enim solum desideratur eius epistulae tale initium, atque hi versus, quos Guelferbytanus quoque codex praebet, omnibus numeris probandi sunt (cf. Vahlen l. c. p. 21 sq.), sed etiam in ipso Puteaneo spatium relictum est a prima manu, quod altera deinde illis versibus explevit.

Versus autem eiusdem epistulae 23, 24

Aptior illa quidem placido dare verbera ponto:
Est tamen et sensus apta ministra mei,

etsi, quod attinet ad rem metricam et sermonem, nullam habent offensionem (cf. Vahlen l. c. p. 36), ideo utrum sint genuini

necne dubitandum est, quoniam neque necessarios eos esse demonstrari, neque, qui factum sit, ut exciderint, satis probabilem in modum coniici potest. Sedtamen quoniam codicem Guelferbytanum ab illis versibus insiticiis, qui ex altera illa recensione, quam E. repraesentat, fluxisse videntur, immunem esse constat, fortasse hoc quoque loco genuini versus servati sunt; atque cum perbene ante v. 21 poni possint, vix causa est, cur non recipiantur.

Itemque duos locos, quos omisit Puteaneus, servaverunt omnes relicui libri IX, 147 sq. et XIV, 62, 113 sq.

Neque vero de versibus IX, 147—152, quos incuria librariorum homoeoteleuto deceptorum in Puteaneo omissos esse patet, neque de XIV, v. 62 et 113, 114, de quibus praeclare locutus est Luc. Müllerus (de re metrica poet. L. p. 45 sq.), ampliora nobis addenda sunt.

§ 2.

Sed etiam longius progredi nos posse puto ita, ut vel ex libris deterioribus et recentioribus atque etiam ex ipsis primis editionibus versus ut genuinos recipiamus.

Et hoc loco de initiis quoque epistularum disserendum nobis est.

Cum enim in optimis codicibus nonnullis tantum epistulis addantur initia, quibus indicatur, a quanam femina ad quem heroem dentur litterae, tales versus in recentioribus libris omnibus epistulis praefiguntur. Atque sunt, qui haec disticha aut omnia aut plurima genuina haberi velint[1]) aut certe in unaquaque epistula necessaria esse initia illa dicant, alii codicum auctoritate nisi omnia, quae non sint in codice Puteaneo, omitti volunt. Primum quidem vix intellegitur, qui fieri potuerit, ut ipsa epistularum initia a librariis omitterentur. Neque quae affert Vahlenus (l. c. p. 35), ut illud illustret ('vermuthlich weil der Raum zu kalligraphischer Ausführung der Verse freigelassen war'), satis probabilia videntur, non quo in codicibus vetustissimis

1) cf. Lindemanni editio aliorumque; J. Vahlen, über die Anfänge der Heroiden des Ovid (Berol. 1881).

illud factum non sit (cf. Wattenbach, das Schriftwesen im Mittelalter (Leipzig 1871) p. 143), sed quia permiros sane casus experta esse haec epistularum initia statuendum esset, si illud cum Vahleno poneretur. Neque enim in omnibus, aut in perpaucis epistulis duos primos versus ita interiisse, sed in compluribus deinceps modo adesse modo esse omissos illi dicendum est, cui quidem rei vix quisquam assentiat.

Iam videamus, num omnino opus fuerit distichis, quibus et qui scriberent et qui acciperent singulas epistulas, nominarentur, aut num omnibus talia addere poeta videatur voluisse. Certe ex propria epistulae forma, qua usus est Ovidius, a salute et eius ad quem scribitur allocutione orditur sermo, simulque nominatur is initio, qui dat epistulam. Expressa est ita, ut Vahlenus perbene dicit, poetice solita illa epistularum soluta oratione conceptarum inscriptio, quod quidem apud alios quoque eodem modo fit poetas, velut Plautus in Pseudol. v. 41 sq. fictam epistulam ita orditur. — Nam tituli, quibus insuper heroides in libris manu scriptis instructi sunt (velut 'Penelope Ulixi'), genuini habendi non sunt de ea causa, quod, cum sine dubio in hac vel illa epistula illius generis inscriptiones poeticas usurpaverit Naso, supervacanei in his quidem sunt, neque eos raros additos esse statui potest.

Adhiberi solent epistulae, quas ex Ponto dedit Ovidius. Sedtamen differre inter se puto has et heroidum epistulas. Hae enim fictae sunt epistulae simulque omnes fortasse a poeta editae; quas ex Ponto misit Ovidius, re vera epistulari usui serviebant. Itaque cum et in illis epistulis e Ponto datis ne duo quidem initia deprehendamus similia, et vel in illarum plus quarta parte inscriptionem illam adhibere omnino noluerit Naso, multo magis in epistularum illa serie cavendum ei fuisse putandum est, ne communis structurae aequabilitate lectores languore afficeret ac fastidio.

Hoc autem statuendum est, eum ita epistulae formam servasse, ut sive scribentis condicione accuratius depicta sive alia re commemorata lectores Romanos in rebus mythologicis satis versatos de personis statim certiores faceret.

Inveniuntur autem iustae inscriptiones epistulares ab omnibus codicibus traditae, in quibus nullo pacto haerere possimus, in her. I—IV, XV, XVIII, neque delenda esse prima ep. XIII, XIV, XVII disticha, ut voluit Sedlmayerus (prol. crit. p. 67), Vahlenus nuper (l. c. p. 18 sq.) satis docuit, ut de his amplius loqui supersedere possim. — Sed haec quoque inter se diversa sunt initia, neque omnia stilo epistulari plane conveniunt. Duo enim nomina vel afferunt vel satis clare significant ep. I, II, IV, XIII, XV, XVII inscriptiones, unum praebent III, XIV, XVIII. Utriusque generis in epistulis ex Ponto exempla sunt, huius praeterea Byblidis epistula est (Met. IX, 530 sq.).

Aggrediamur iam ep. V, X, XI, quarum initia hoc inter se simile habent, quod aperte in altero disticho vel in tertio (XI) dicitur, a quanam missa sit epistula atque id ita indicatur, ut tum primum nomina afferri apertum sit. Haec igitur altera forma est inscriptionis aut tertia, quae poetae tribuenda est varietatem effecturo.

Decessisse igitur poetam de forma sollemnis initii videmus, atque si conferimus e P. II, 1; III, 1, 7; IV, 3, 4, 5, 10, 12, 14, vel ita Naso instituisse videtur epistulas, ut statim ad medias res accedat atque satis habeat nomen eius, ad quem dat litteras, obiter aliquo loco commemorasse. Similiter in heroidum epistulis VI, VII, XII, VIII, IX, XVI, XIX, XX factum est; nam personae ipsae statim cognoscuntur, sive quod nomina inseruntur, sive quod earum condicio tam accurate describitur, ut dubitari de iis nequeat. Itaque sine dubio diligentissime non observavit Naso stilum epistularem.

Sedtamen, cum relicuae epistulae, etsi statim ad medias res abripiant lectores, tamen ita incipiantur, ut nulla antea cogitatio supplenda sit, extant, ubi de initiis deperditis ut cogitetur, rationem ipsam suadere censet Vahlenus. Neque dubitat e deterioribus libris recipere versus, qui compleant illa initia: dico ep. VII, XI, XII, XVI, VIII.

Age videamus, quae traditae sint inscriptiones in recentioribus libris.

Ep. XI initium, quod traditur s. XIII libris, ipsi Vahleno

suspiciosum videtur; atque idem sine dubio statuendum erat de ep. XII, quod nulla praeterea auctoritate nititur, nisi editionis Venetae primae, in qua meliorem codicem expressum non esse constat (cf. Sedlmayer prol. crit. p. 95). Tardi certe ingenii is fuit, qui primum enuntiatum complemento augere voluit, quippe quod neque iusto modo cohaerere cum proximis neque ad totam epistulam quadrare pateat.

Ep. VII initium traditur a codice Etonensi, qui aliis quoque spuriis initiis nos beavit, neque, ut permultae aliae eius interpolationes, hoc distichon in relicuos libros irrepsit, quoniam ut supra vidimus non fere totus perscriptus est liber, sed ad corrigendos alios codices adhibitus. Atque augetur de illis versibus scrupulus, quod non apte videtur ea cogitatio, quae in v. 1, 2 exemplo illustratur ac deinde per totam epistulam magis velatur, quam clare exprimitur atque in fine demum apertis verbis affertur (183 sqq.), in ipso initio tam nuda poni, ut fit duobus illis versibus suppletis. Atque qua cum re componeretur oloris cantus, certe languidum erat explicatius exponere, cum in duobus quae sequuntur distichis continEatur. — Itemque XVI ep. cogitatio quam praefixit nescio quis (cf. Sedlmayer l. c. p. 67), facillime animo suppletur. Versus ipsi omni carent auctoritate codicum. — In VIII et IX ep., praeterquam quod in hac puerilem in modum primum ipsa epistula loquens inducitur atque pergitur in eodem enuntiato, quasi Deianira alloqueretur Herculem, hoc potissimum offendit, quod heroina dicit se non iam esse herois amati uxorem. Quod quidem a tota epistula alienum esse apertum est (cf. VIII, 28 sq.; IX, 27 sq.).

Itaque singula[1]) quae adduntur disticha satis suspicionis movent, ut ea potius illi variorum interpolatorum studio attribuamus ad similem complurium epistularum formam relicuas pleniores reddendi. — Atque cum viderimus primum haud ita

1) De relicuis quae in recentioribus libris adduntur distichis accuratius mitto quaerere, cum et Vahlenus necessaria ea esse non affirmet, et ea ficticia esse primo obtutu appareat. Unum, a quo in libris quibusdam ep. XIX orditur, cum simillimum sit ep. VII inscriptioni, quam praebet Etonensis, ex hoc libro fluxisse videtur.

facile in codicibus omitti potuisse initia, deinde Nasonem non omnino severa epistulari forma usum esse atque saepius heroinas ad medias res aggredientes fecisse, etiam hoc haud scio an statuere possimus consulto vel ita epistularum exordia instituisse Nasonem, ut quam summas animi perturbationes declaret scribentium. Ita quidem fieri videmus in ep. XII, ubi aperte in v. 5 Medeae cogitationes ad alias res devertunt, ut omittat priorem sententiam complere.

§ 3.

Luculentum autem exemplum, quo appareat etiam solos deteriores libros genuinos tradidisse versus, est distichon II, 18, 19, quod invenitur in codice Gissensi (s. XIV) et recentissimis quibusdam. — Primo enim obtutu apparet enuntiatum 'saepe deos supplex' (17) illo disticho omisso verbo finito non coniungi, itemque nuda illa verba 'saepe mihi dixi' (20) omni vi carere, nisi addatur, qua in condicione et qua causa commota illa dixerit Phyllis. Neque enim quandocunque deos oravit, sed dum per ventos secundos re vera licet Demophoonti venire, talia loquens induci potest. Utrumque vero inest in disticho

Cum prece turicremis sum venerata focis[1]),
Saepe videns ventos caelo pelagoque faventes

codicis Gissensis, quod praeterea neque si spectamus metricas leges neque si elocutionem, ullum movet scrupulum. Atque hoc distichon in ipso omnium librorum archetypo omissum esse videtur propter similia v. 17 et 19 initia. Qui factum esse videatur, ut servaretur, supra exposuimus.

Retinent hos versus omnes editores. Sed etiam ep. VIII, v. 20, 21 genuinos esse docet Vahlenus (l. c. p. 37). Defen-

---

1) Ita scribendum est e codicis Gissensis vestigiis:

'Cum prece turmoniis sum venerata sacris'.

Nam et copula, quae dicitur, 'sum' necessaria est, neque vocem 'devenerari', quam Heinsius receperat, Ovidius usurpat ('venerari' Tr. V, 1, 49; III, 153; Met. V, 279 al.). Vox 'turicremis' defenditur a. a. III, 393.

duntur autem una primarum editionum auctoritate. Nam Vindobonensem codicem s. XV, qui eos versus habet, nullius auctoritatis esse constat et fragmentum Seidlerianum[1]), plane ut fragmentum Paullinum, codicis alicuius complementum posteriore factum aetate fuisse videtur. Excidere potuerunt eandem ob rem atque II, 18, 19 eademque ratione servari.

Genuinos vero haberi eos versus, qui post VII, 95 inserti sunt in cod. Trevirano (s. XIII) aliisque ipsa quae ibi adnotantur verba 'sed non sunt de libro', vetant. Neque ibi deest quidquam, nisi vox, ad quam referendum sit 'ad quas eo'. Cumque totius loci sententia demonstret de eundo ad inferos sermonem esse, Merkeli illud inventum 'umbraeque Sychaei' satis probabilis est coniectura.

§ 4.

Quae tractavi disticha utrum genuina sint necne, et multum dubitationis relinquitur neque, quoniam singula ac perpauca sunt, multum interest: agetur nunc de causa maiore. Quaeritur, utrum versus CCCXL (ep. XX, 13—248 et ep. XV, 39—142) litteris latinis sint eripiendi an vero relinquendi vel restituendi. Et siquidem respicis eos, qui de hac quaestione nunc data opera et, ut credere par est, re perquisita iudicant, vel si is es, cui imponat auctoritas virorum gravium, Lachmanni dico et Merkeli, facile horum versuum perditam ducas causam. Etenim ille ineptam superstitionem vocat et inexcusabilem, quod eos versus eiicere nolint editores, hic illos primus ne inclinatis quidem litteris in editione sua praebere voluit, quo quidem in honore habuit Sapphus epistulam. Conflatos autem eos esse putant Italorum fraude XV demum saeculo, cuius quidem sen-

---

1) Hoc quidem fragmentum nunc deperditum, quod ubi olim fuerit, ne concludi quidem licet e Jahni verbis (edit. I, p. XI), tale fuisse complementum inde colligi potest, quod et duas tantum epistulas, VIII et Sapphus, complexum est, et nihil fere scriptura differt ab ipsis primis editionibus praeter coniecturas viles pluraque scribendi vitia. — De fragmento Paullino infra videbimus.

tentiae nunc acerrimus propugnator Riesius[1]) extitit. Itaque factum est, ut pauci[2]) eos defendant prae eorum numero, qui eos spernant. Nemo autem, si quidem nihil affert praeiudicati, versus illos omnino repudiandos esse animum inducet.

Atque aggredior ad v. XX, 12—248. Subit mirari cur, cum Diltheyus in libro de Callimachi Cydippa subtilis eruditionis plenissimo egregius extiterit versuum illorum defensor, Riesius ne ad eam quidem redierit rem, ut illius sententiam infirmare studeret. At cum Diltheyus rationibus sententiam suam confirmasset, ea digna profecto erat, quae argumentis refelleretur, non silentio obtegeretur, ut paene putandum sit Riesium ne cognovisse quidem illius disputationem. Nec minus mirum in modum rem gessit Sedlmayerus. Qui cum non solum noverit illius sententiam, sed eam, quia persuaserint sibi argumenta, probarit et laudarit (in prol. crit. l. c.), improviso[3]) sententia plane mutata Riesii cessit auctoritati, qui interea asseveraverat versus illos habendos esse pro s. XV interpolatione. Neque vero Diltheyi argumenta nedum quae ipse exposuerat attenuare suscipit, ne dicit quidem, cur illa subito ut debilia atque infirma relinquat, eadem videlicet argumenta, quae brevi ante ut sincera et gravia plane suo assensu probaverat. Tantum repente apud eum illa valet res, quod versus illi codicum auctoritate carere videantur, quod folia quoque Laurentiani (XXXVI, 27), in quibus extant versus, addita sint s. XVI. At ut nulla traditi sint antiquiore auctoritate, num ea re simul relicua indicia interna, ob quae genuini esse videbantur, irrita facta erant?

Sedtamen cum accuratius de versibus illis quaesiturus sum, quoniam omnia et ea gravissima iam ab aliis allata sunt argu-

---

1) cf. Bursiani annal. t. X, (1878) p. 20 sq., Lit. Centralbl. 1879 p. 776.

2) Praeter antiquiores Lennep. Loers. in edit., Werfer. in actis philol. Monac. I, 509, hi sunt: Diltheyus de Call. Cyd. p. 42 n. 1; Luc. Müller de re metrica p. L. p. 43 sq.; Th. Birt in Mus. Rhen. n. s. XXXII, 389; St. Sedlmayer in prol. crit. ad heroid. Ovid. p. 33; J. Vahlen, über die Anfänge der Heroiden d. Ovid. Berl. Acad. 1881 p. 35.

2) In commentario critico superiore anno edito.

menta, quibus elucet ultimam epistulam integram ab uno eodemque profectam esse scriptore, neque multis opus est, neque nova proferre possum.

Argumenta si requiris Riesii sectatorumque, nihil apparet, nisi quod CCXXXVI illos versus omni codicum nobis certe notorum auctoritate carere dicunt. Quod quidem obiter rem attingentibus satis grave videri potest. Nam cum v. illi in omnibus libris, qui cum Puteaneo fluxerunt ex eodem archetypo, desint, illum et ipsum hac in parte mutilum fuisse statuendum est. Quid vero suspicionis haec habet versuum condicio? Nonne ipsorum Ovidianorum carminum Sapphus epistulam, quamquam nullis traditur codicibus atque s. XV demum emergit, multo ante scriptam esse constat? Neque alia ratio est consolationis ad Liviam, si quidem re vera, quod Hauptius[1]) dubitavit, Huebnerus[2]) tamen rationibus evicit, Ovidianae, non recentioris, aetatis illa est.

Sed, quod multo maius est, mira ipsa ratio[3]), qua tradita est illa quam disceptamus epistulae pars, eam non demum s. XV esse conflatam luculenter demonstrat. Primo innotuisse videmus versus tantum CXXXII, quos receperunt Parisinus codex n. 7991, Guelferbytanus (Gud. 297), editio princeps Romana (a. 1471), deinde Veneta (a. 1474). Anno 1477 demum integram epistulam inventam esse intellegitur ex notissima illa editoris Parmensis adnotatione. Nam folia, quae in codice Laurentiano (plut. XXXVI 27) addita sunt, quaeque antea unum omnium librorum fontem esse statuerat Sedlmayerus (comm. crit.) nuperrime[4]) idem homo doctus coniecit a XVI saec. manu ex exemplari aliquo typis expresso transcripta esse. Quaenam fuerit cod. Lips. (bibl. civ. 47) condicio, cum is nunc lateat liber, nescimus, sed vix dubium est, quin in hoc eodem modo versus illi transcripti fuerint. — Cur autem illi editoris Parmensis ad-

---

1) Epicedion Drusi cum commentariis. Lips. 1849 (Opusc. I, p. 314).
2) Cf. Hermes XIII, 145; Baehrens poetae lat. min. I, p. 97.
3) Exposuerunt hanc Diltheyus de Call. Cyd. p. 42 n. 1. et p. 136, deinde Sedlmayerus comment. crit.
4) Cf. *Wiener Studien*, 3. Jahrgang 1881 p. 158.

notationi ne uno quidem argumento allato fides derogetur, certe nulla est causa. Sane editores nonnulli Angeli Sabini Itali illius saec. XV epistulas tres inter Ovidianas epistulas receperunt ut Auli Sabini Ovidii amici carmina, sed eos hoc in genere lectores decipere noluisse inde colligi posse puto, quod non dicitur, ubi epistulae illae sint inventae; nimirum quod non extant in codicibus[1]).

Neque aliud quidquam statui potest nisi hoc: redire omnes libros ad exemplar sat antiquum, quod 'et cum integrum esset et duorum foliorum iactura in fine mutilum', descriptum sit (Dilthey de Call. Cyd. p. 135). An tu putas Italum versificatorem primum acquievisse in CXLIV (vel CXXXII) solis versibus describendis? an vero credibile ducis operam ab alio inceptam ab alio pertextam esse? Neque saeculo XIV vel XIII eos conflari potuisse patet. Continuare certe quondam voluit epistulam mutilam homo quidam saeculi ut videtur XIII, qui, quam pravos atque insulsos versiculos ei adnexuerit, vide, si placet, apud Sedlmayerum (prol. crit. p. 77).

Atque versus illos non ex Itali alicuius officina profectos, sed genuinos esse compluria confirmant argumenta.

Cum sine dubio ultimam hanc epistulam, cum primum ederetur, versibus duodecim, in quibus nihil sane inest nisi prooemium, absolutam fuisse nemo sibi persuasurus sit, epistula paene tota deperdita ceteros versus suppletos esse renascentium litterarum tempore putandum est. At qui homini illius aetatis litterato contigisset, ut Ovidiani epistulam ita continuaret ac perficeret, ut fit illa parte, quam exhibent editiones primae? Si repeterentur et amplificarentur maximam partem ea, quae in priore epistula narrata erant, aut tales adnecterentur cogitationes, quales facillime fingere poterat vel is, qui fabulae, quam tractaturus erat, notitiam uni epistulae Ov. XIX deberet,

1) *O. Jahn* in *Zeitschr. f. Alt.-W.* a. 1837 p. 63.

2) Sunt illi versus in codice Gissensi atque inveniuntur in recentissimis quoque quibusdam, velut in cod. Ambros. O 138 Sup. saec. XV paullo mutati a recentiore manu ut e codice aliquo antiquiore sumpti additi sunt.

libenter de tali, qualem Riesius alii statuunt, fonte cogitari posse concederem. At ipsa fabula pertexitur et expletur ep. XX: narratur iter Cydippae, explicatur primus utriusque congressus, dicitur de repetito morbo Cydippae, et omnia exponuntur tam recte apteque et tam plene, ut haec scribere non nisi eum potuisse appareat, qui cognoverit fabulam totam atque eam fabulam, quam saeculo XV nisi ipsa epistula Acontii latina vix cuiquam notam fuisse statuendum est. Nam auctor eius non extitit alter praeter unum Aristaenetum (ep: I, 10), cuius fictae epistulae servatae sunt uno exemplari Vindobonensi, ex quo eos primus edidit Vindobonae Sambucus anno MDLXV. Permiro igitur profecto casu factum esset, si ille ipse codex tunc ex tenebris bibliothecae alicuius Apulicae, unde anno MDLXI ab ipso Sambuco comparatus est[1]), erutus ei esset oblatus, qui Ovidianam epistulam continuare in animo haberet.

Sed hoc etiam si fieri potuisse vellemus largiri, hinc nondum credibilis evaderet causa Riesii. Neque enim serviliter pendet ab Aristaeneti epistula is qui composuit ultimam ep. Ovid.: immo habet fabulam ampliorem, addit quaedam rerum momenta ab Aristaeneto omissa[2]), nonnulla narrat explicatius, omnia apta ac docta rerum copia, neque ullo modo peccat aut in rebus antiquis aut in colore eo, quem merito expectamus in epistula ex auctore Alexandrino ducta[3]). Admirabilis sane et doctrinae sub-

---

1) In codicis illius Vindobonensis (cod. ms. phil. gr. CCCX) prima pagina adnotatur librum anno MDLXXVIII de Johanne Sambuco redemtum esse, qui ipse eum in Apulia anno MDLXI comparaverit. Atque Lambecius (in appendice l. VI. primae commentariorum editionis) Sambucum sua manu haec inscripsisse testatur et praeter illum Sambuci librum alium Aristaeneti codicem tum non fuisse. Debeo has notitias *Birkio,* humanissimo imperialis bibliothecae Vindobonensis administratori.

2) Unum huius rei affero exemplum facile gravissimum, quod significatur iter Cydippae ita, ut Athenas patriam eius urbem agnoscamus, quae eaedem apud Callimachum eius patria fuerunt, cum Aristaenetus et ep. Acontii nullam locorum significationem habeant (cf. Dilthey, de Call. Cyd. p. 48 sq.).

3) Cf. e. g. veriloquium vere Alexandrinum Acontii nominis v. 209 sq. (l. c. p. 41 sq.). Ceterum omnia quae adumbravi vides exponi a Diltheyo l. l.

tilitas et ingenii elegantia fuisset viri Itali, immo vis divinandi plane digna vate aliqno vel augure! Quis enim in illius aevi homine quamvis docto tam accuratam et perfectam fuisse existimet peritiam rationis illius, quam in Alexandrina poesi fuisse nostro tandem saeculo studia continuata docuerunt?

Accedit, quod vel ante Neronis aetatem haec ipsa epistula XX nonnullis poetis ad imitandum proposita fuisse videtur. Ita 'Nucis elegiae' scriptor itemque deinde Maximianus eam noverunt.[1])

Ut aliis quoque locis Seneca Ovidium expressit, velut Troad. 48 sq. et Ov. Met. XIII, 408, Oed. 709 et Ov. Met. III, 6 sq. 'et in epistula Medeae Ovid. multa sunt, quorum apud Senecam tam similia reperiuntur, ut imitatio aperta sit', aliique loci, quos passim adnotat Friedericus Leo (Senecae tragoediae, vol. I, p. 116 sq. 157, 166 sq., 168), ita Herc. fur. 29:

et saevus dolor
aeterna bella pace sublata geret

fluxisse videtur ex XX, 54:

vos pace movetis
aspera summota proelia.

Augent et plane confirmant fidem alia. Cum in illorum poetarum minorum operibus, quae in anthologia collecta sunt, haud pauci inveniantur loci, qui Ovidiani alicuius versus debentur imitationi — velut e Priapeiis, quae vocantur complures versus similes sunt Ovidianis, (quos quidem citat Buechelerus in Mus. Rhen. XVIII p. 381 sq.), itemque ex anthologia latina, quos Burmannus Secundus in editione anthologiae latinae adnotat, (velut I p. 134 sq. et ep. her. VII; — p. 179 et. her. XI, 7; — p. 269 (v. 77) et Met. XV, 230; — p. 505 et am. II, 18, 29; — p. 531 et ep. her. VI, 28; — II p. 16 et ep. her. III, 2; — p. 17 et am. II, 10, 33; — p. 51 et am. II, 14, 23 sq.; — p. 200 et ep. her. IV, 7; — p. 243 et ep. XII, 6; — p. 412 et ep. IV, 104 et alios locos permultos) — ita etiam epistulam Cydippae cogno-

---

1) Cf. de hac imitatione Sedlmayer. prol. crit. p. 36 et quae ibi citantur scripta.

visse videntur; nam similes sunt: v. 99 et Mart. lib. spect. I, 4; — v. 115 et anth. (Meyer) II, 1292. — v. 123 et Claud. 29, 170.

An putas versificatorem Italum ad hos descendisse cogitationum aut enuntiatorum fontes? Mehercle non sunt ex illis, quos doctiores illius temporis Itali et lectitarunt studiose et saepe imitati sunt. Itaque multo magis rationi convenit varios illos scriptores in suum usum vocasse hanc epistulam Cydippae non secus atque alios Ovidii Ovidianorumque versus crebro expresserunt.

Denique etiam externa versuum condicio, corruptelae et interpolationes haud paucae, eos antiquiores saec. XV esse testantur. Profecto si quae hucusque emendata sunt, respicis, menda adesse vides, quae nullo pacto ex errore typographorum nasci potuerint, sed ex una grammaticorum interpolatione. Cuius argumenti vim ea auget res, quod in Angeli Sabini opusculis, quae illo ipso tempore conscripta sunt, quo illos versus Ovdianos elucubratos esse Riesius sectatoresque suspicantur, nisi errores typographicos nulla deprehendis vitia; nam si quae alia correxerunt homines docti, falsa versuum antiquitatis fide ducti sermonem non aperte falsum elegantiorem reddere studuerunt.

Ceterum ep. XX totius auctor non secus atque XIX 'diligenter se insinuavit in Ovidii dictionem atque artem' (Diltheyi verba), nec solum generatim eum imitatus est, sed versuum etiam particulas in suum carmen transtulit plane eodem modo, quo id factum videmus in ceteris epistulis antiquo aevo ad Ovidii exemplar scriptis. Conferantur qui plus minusve similes sunt loci hi:

Ep. Cydippae v. 13 et Met. III, 395; ep. her. IV, 70. — 16 et Met. VII, 343. — 18 et e P. II, 10, 35. — 22 et F. II, 170; Tr. I, 1, 124; IV, 6, 32. — 25 et Met. I, 526; Tr. I, 3, 69. — 27 et Met. VIII, 212. — 28 et ep. X, 140. — 29 sq. et ep. VII, 45. — 31 et her. XIX, 199. — 32 et Tr. V, 12, 48. — 36 et ep. XIII, 45; Met. XI, 322. — 46 et Met. V, 448. — 48 et F. I, 482; Tr. I, 10, 42. — 50 et Met. XII, 153; XIII, 467; Tr. II, 121. — 51 et ep. XV, 71. — 71—74 et ep. V, 50. — 76 et ep. XVII, 130; Met. I, 18. — 80 et ep. II, 125. — 81 sq. et Met. VIII, 220. — 83 et am. III, 5, 27; Met. IV, 99; XII, 320; 366; Tr. III, 9, 11. — 86 et Met. VII, 325; F. IV, 688. — 89 et Met. V, 52; X, 263. — 92 et ep.

XIII, 114; Met. XIII, 66. — 93 et ep. XIX. 236; Ib. 397 sq. — 94 et ep. VII, 24; am. II, 13, 33; F. IV, 638. — 96 et a. a. I, 516. — 97 et Met. II, 573; e P. IV, 4, 11. — 104 et ep. II, 63 sq. — 110 et Tr. I, 1, 81. — 112 et ep. XI, 35. — 113 et ep. XVII, 24. — 114 sq. et Met. III, 654; ep. II, 63; am. I, 738. — 122 et. Tr. II, 544; e P. II, 10, 15; a. a. II, 562; ep. II, 74. — 124 et am. II, 1, 30; ep. VII, 17. — 131 et ep. XVI, 85. — 154 et ep. II, 54. — 155 et ep. XII, 139; IV, 17. — 156 et e P. III, 3, 8. — 157 sq. et ep. XIV, 27. — 160 et ep. II, 120; F. II, 524. — 161 et ep. VI, 44; XII, 156. — 173 et Met. II, 421. — 174 et ep. V, 145 sq. — 176 et ep. VII, 76. — 183 et am. II, 19, 11. — 194 et ep. VI, 63. — 212 et ep. XV, 40. — 215 et ep. XI, 27; Tr. III, 1, 55. — 229 et Met. XIV, 712. — 233 et Met. VIII, 267. — 240 et ep. IV, 14; F. III, 688. — 242 et Met. XIII, 541; Tr. IV, 2, 29; ep. VI, 26. — 244 et ep. XVII, 20. — 245 et ep. XI, 3. — 246 et Met. II, 385.

Neque solum ex mediocritate altius emergunt versus, sed maximam partem sunt faciles, rotundi, venusti, quales saec. XV Italus certe exsudare non potuit. Perlegas quaeso Sabini carmina. Ut omittam inania ea esse rerumque inopia, quam ieiuna in illis omnis tractandi ratio atque exsanguis sit, quamque non elegans ac ne latinus quidem ubique orationis color, tam manifesto primos quosque legenti versus apparet, ut accuratius de hac re exponere non sit opus. Itemque cum iam in Sapphus epistula, quod ad rem metricam attinet, compluria sint vituperanda (cf. Eschenburg, l. c. p. 30) et legentes Sabini epistulas etiam in pluribus ac gravioribus offendamus (velut: in I, 3, 9, 11, 13, 23, 25, 27, 41, 45 etc. II, 76; I, 104; II, 66, 68; III, 52, 78): huius, Cydippae, epistulae rationem metricam nullum movere scrupulum Eschenburgius docet omnesque homines docti consentiunt.

Quae vero de sermonis duritate nuper protulit Sedlmayerus (comm. crit.) vana sunt omnique carent fide. Haesit quidem in v. 58 'velle velis'; quamquam saepissime 'velle' addi, ubi supervacaneum nobis esse videatur, a latinis constat. Cf. Ov. fast. II, 262; Tib. IV, 3, 8; Ov. am. I, 4, 38 atque ab ipso Cicerone sic ponitur ad 'nolle' cf. Balb. 26; Cael. 32; Phil. 7. 9, quin etiam ipse Ovidius similiter am. III, 11, 50 praebet:

Me quoque velle velis, anne coactus amem.

(Cf. praeterea quae Lennepius ad ep. locum adnotavit.) — Quid

vero languidi ('schwerfälliges') inest in 'Hymen fugit et terga dedit'? immo prorsum Ovidianum est, neque Sedlmayerum hoc vituperaturum fuisse puto, si legisset, quae disputat Diltheyus in Annal. dell' Instit. arch. 1869 p. 24 sq. Neque cetera quae vituperavit, quidquam valent, ut appareat Italorum fraude versus esse additos: immo si quidem in hoc vel illo versu haeremus, monendum est et inferiorem Ovidio poetam totam epistulam composuisse et, quoniam hucusque parum in ea emendanda operae posuerunt homines docti, multa in illa emendatione egere.

His igitur quas adumbravi de causis adducor, ut epistulam ultimam non Italorum continuandi poetae verba studio deberi statuam, sed ipsi illi, qui primos XII versus composuit, hoc est eiusdem fere aetatis poetae, qua ceteri Ovidii sectatores floruerunt.

§ 5.

Non par sed similis est versuum XV, 39—142 causa, ut, si illam vicerimus, hanc non simus perdituri.

Atque primum eadem atque illi ep. XX versus fide hi CIV versus traditi esse videntur. Desunt in omnibus codicibus et melioribus et deterioribus et in Planudis versione graeca atque primum eduntur in editione Parmensi a. 1477. Quod praeterea inveniuntur in codice quodam Palatino nihil valere puto, quoniam eum, cum nihil scripturis ab illis differat, s. XV exeunte vel XVI ex ipso exemplari aliquo typis expresso transcriptum esse hominibus doctis verisimile est. — In editionibus primis versus illos 'recens repertos esse in codice antiquissimo' adnotatur. Tali antiquitatis laudi, cum ita plerumque saec. XIV vel XV libri nitide scripti honorentur, non multum tribuendum est; quamquam non aliter atque ep. XX paene totam eos re vera in codice esse repertos, cur diffidamus, causam non video, praesertim cum Aldus ipse eos spurios esse indicet. — Quod in nonnullis heroidum itemque in totius Ovidii editionibus primis non leguntur versus, non est urgendum. Veri enim simillimum est in eis unum codicem integrum typis expressum esse, qui CIV Paridis epistulae versus non praebuerit, in illis heroidum editionibus, quae eos receperunt, alios quoque libros et eos rariores.

adhibitos esse. — Extant praeterea folia solivaga, quae illos solos versus complectuntur. Est fragmentum Paullinum, quod dicitur, quod olim fuit in bibliotheca academiae Lipsiensis, nunc autem inveniri iam non potuit (cf. Sedlmayer prol. crit. p. 24 sq.). Id quando exaratum sit, nescimus atque ne Jahnius quidem, qui solus contulit, quidquam de ea re dicit (cf. Jahni edit. vol. II p. XVI et p. 127 not.).

At reapse folia illa ne pars quidem codicis alicuius fuisse videntur. Nam lectionum discrepantiae, quae sunt inter hoc fragmentum et editiones primas, non eae sunt, quae non coniecturis aut facili scriptoris errore ortae esse potuerint[1]). Maiorem ergo veritatis speciem praebet, transcriptos esse versus illos vel ex alio codice vel fortasse ex editione aliqua a docto quodam homine, qui suum ipsius exemplar, in quo deerant, vellet complere.

Atque cum editiones quoque et codex Palatinus nihil fere scriptura differant, unus codex fuisse videtur, e quo omnes libri illi fluxerunt, idem, quem adhibuit editor Parmensis[2]).

In codice Puteaneo teste Merkelo (cf. edit. p. IX) post versum XV, 38 indicium aliquod comparet. Sed cum non constet illud ab eadem manu esse, quae relicua scripsit, ne huic quidem rei nimium tribuamus.

Codicum igitur auctoritas nulla est. — Sed videamus, utrum interna indicia versus illos CIV spurios esse testentur an genuinos.

Qui eos spurios et medio demum aevo vel s. XV insertos esse sumpserunt, eis hoc primum demonstrandum erat, cur tandem doctus aliquis homo inciderit in illam interpolationem, cuius similis in ceteris epistulis Ovidianis non invenitur. Ex Riesii eorumque qui delent versus sententia, quaecunque illis dicuntur,

1) Sunt hae maxime discrepantiae: 70 edit. vet. *una* duas; fragm. Paull. *ipse*. 91 edit. recept*o*; fragm. Paull. recepta est; 93 edit. me *cupiere*; fr. Paull. me *petiere*; 99 edit. *at* mihi; fr. Paull. *sed* mihi; 118 edit. iubeba*r*; fr. Paull. iubeba*t* (cum glossa 'Venus'); 132 edit. *con*spicuumque; fr. Paull. *per*sp.; 134 edit. *c*aperentur; fr. Paull. *r*aperentur; 136 edit. in*to*nuisse; fr. P. in*cal*uisse.

2) Defuerunt igitur versus Konradi Wirceburgensis aetate, neque probanda sunt quae dicit Bartsch: *Albr. v. Halberstadt u. Ovid im Mittelalter* p. XXVII.

supervacanea sunt, eisque resectis nullus comparet hiatus. Unde elucet de ea causa, quod desideraverint aliquid Itali, ab illis eos compositos esse statui omnino non posse. Atque si re vera desiderata esset talis narratio, qualis ibi continetur, cur tandem adeo tracta est illa? Neque minor oritur dubitatio, num illo ipso loco, quippe quo optime omnia cohaerere dicant illi, versus supplere potuerint Itali docti atque num inserta fabula illa tam sincerum ac facilem invenerint transitum, quo deducerent orationem ad versum 143, quam qui est in parte illa falso suspecta. Nimirum quantum qualiaque omnino illi medii aevi librarii addere valuerint, luculenter quattuor vel duo versus docent, quos post v. 166 vel 168 in codicibus nonnullis saec. XIII et XIV insertos invenimus.

At re vera si omittuntur versus illi CIV, lacuna efficitur in epistula[1]). Nam quomodo Riesius aliique nexum sententiarum explicare student, hoc quidem pravum interpretationis artificium est. Formulam '*credis et hoc nobis*' vel similem aliquam ubi Ovidius usurpat, enuntiato alicui constanter simile ita addit, ut et confirmetur et augeatur sententia (cf. ep. XVII, 121; Tr. V, 4, 23; e P. I, 5, 9). De tali formulae usu non posse cogitari hoc loco vel librarius is quidam videtur intellexisse qui correxit 'crede *sed* hoc nobis.' Verum tamen ne ita quidem nexus sanus est, immo haec loci est ratio. Eis, quae antecedunt (36—38), hoc unum dicitur Paridem, antequam Helenam oculis vidisset, de ea nuntium accepisse fama; itaque nihil omnino de pulcritudine Helenae exponitur, sed *fama nuntia fuit* eius enuntiati summa est. Quae cum ita sint, nullo pacto pergere potest poeta de *gloria* narrare, praesertim cum ne addatur quidem, cuius rei gloria sit intellegenda.

Nam neque vultus neque formae *gloriam* significari luculenter ex ea re cognoscitur, quod illi notioni subiungitur *famaque de forma.* Maxime igitur necessaria sunt ad enuntiatum *minor est tua gloria vero* bene intellegendum verba, quae insunt in v. 139 sq., quippe in quibus re vera *Helenae gloria* fusius

1) Egit de hac re *Birtius* in Mus. Rhen. XXXII p. 389 n. 2.

explicetur. Neque in hac re haerendum est, quod postquam narravit Paris, quanta cum admiratione primum vidisset Helenam, iterum commemorat iam antea se de eius pulcritudine audiisse. Nam hoc ipsum additamentum illius enuntiati (135) vim magnopere auget. — Itemque bene excipit versum 38 versus 39 sq.

Sed quod maiorem vim habet, ut relicua Paridis et Helenae epistulae recte intellegantur, CIV illi versus adeo sunt necessarii, ut omissis illis sine dubio lacuna statuenda sit[1]).

Summa eorum, quae continentur illis versibus, spectat ad Paridis iudicium maxime eaque quae et praecesserunt et illud secuta sunt. Quis vero cum poetarum latinorum tum heroidum Ovidianarum gnarus animum inducet huius epistulae auctorem tam bellam illud describendi occasionem potius praetermittere et breviter tantum modo hoc modo illo loco rem obiter commemorare maluisse, quam aptissimum hoc et gratissimum arripere argumentum? Hoc enim in omnibus fere epistulis fieri videmus, ut poeta ante omnia narrantem inducat heroinam aut heroem, qui factum sit, ut amare inciperet. Atque eo processit hoc ipsam fabulam delineandi studium, ut nonnullae epistulae maximam partem talibus fabulis conficiantur. Neque enim verae sunt epistulae, sed lectores potissimum Romanos delectare poeta elegiis voluit suis.

Ad complures autem res respicit Helenae responsum, quae omnino non commemorantur a Paride nisi in CIV illis versibus; atque etiam aperte Helena se a Paride ipso res illas comperisse dicit. Id iam demonstraturi, ne bis idem nobis dicendum sit, locos et Helenae epistulae et illius partis suspectae sibi respondentes componamus, quo efficiamus et desiderari quaedam in Paridis epistula et CIV illos versus ad lacunam explendam perfecte quadrare.

---

1) De hac re ut de summa argumentorum saepius disputatum est a *Lennepio, Loersio* aliis in editionibus, a *Werfero* in actis philol. Monac. I. p. 512, a *Sedlmayero* proll. crit. p. 34. Hoc loco liceat hos afferre, ne in singulis, quae illi iam exposuerunt, nomina opus sit repetere.

Cf. XVI, 115 ... et in altae vallibus Idae
Tres tibi se nudas exhibuere deae.
et XV, 53 Est locus in mediis nemorosae vallibus Idae
65 Tresque simul divae ...

Quod hoc loco nudas sese exhibuisse Paridi deas dicit Helena, Paris non item, hoc ideo non ita urgendum est, quod poeta certe non unam Paridis epistulam, sed Ovidii quoque hunc locum ep. V, 36

Venit in arbitrium nuda Minerva tuum

aliosque similes poetarum locos in animo habuit[1]).

Deinde versus XVI, 117 sq. spectare ad XV, 81 sq. non ad XV, 163 sq. apparet:

XVI, 117 sq. Unaque cum regnum, belli daret altera laudem,
'Tyndaridis coniux', tertia dixit 'eris',
et XV, 81 sq. Regna Iovis coniux virtutem filia iactat.
... et pulchrae filia Ledae
Ibit in amplexus pulchrior ipsa tuos.

Maxime premendum est versum XVI, 126

Laudatrix Venus est invidiosa mihi

pertinere ad verba ep. XV, quae modo citavimus. — Conferantur deinde:

XVI, 120 Arbitrio formam supposuisse tuo
et XV, 69 Arbiter es formae.

Tum versus XVI, 134 comparetur cum v. XV, 87.

Deinde cf. XVI, 237:

Fax quoque me terret, quam se peperisse cruentam
Ante diem partus est tua visa parens:
Et vatum timeo monitus, quos igne Pelasgo
Ilion arsurum praemonuisse ferunt,

et, in quibus solis narrantur haec a Paride:

XV, 45 Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni
Flammiferam pleno reddere ventre facem ...

---

1) Latius enim evulgatum fuisse hoc fabulis, deas nudas sese exhibuisse Paridi, docent Prop. II, 2, 14 et non paucae vasorum nummorumque imagines. Cf. *Overbeck,* Gallerie heroischer Bildwerke p. 249 sq. *Welcker*, alte Denkmäler V p. 368. *Fränkel* in Archaeol. Zeitung. 1874 p. 38, 11.

48 Arsurum Paridis vates canit Ilion igni.

Quamquam non est reticendum hoc loco de ea causa haereri posse, quod dicit Helena (XVI. 240) *ferunt* (urgetur hoc quidem a Riesio), ut putandum sit eam ab aliis haec comperisse. Sed si quidem res adeo premenda est, nisi hoc loco paulo neglegentiorem fuisse poetam statuere vis, reapse illam potissimum fabulam tum in omnium ore fuisse dici videtur. — Atque etiam Cassandrae vaticinationem (XV, 122) commemorari ab Helena illo loco puto et quod dicit (XVI, 239) *vatum timeo monitus* et quod addit *igne Pelasgo Ilion arsurum,* cum qua voce conferas verba XV, 123:

referes incendia tecum,
Quanta per has nescis flamma petatur aquas.

Denique etiam de Oenonae amore Paridis epistulam egisse docent haec Helenae verba XVI, 195:

Tu quoque dilectam multos infide per annos
Diceris Oenonen destituisse tuam.
Nec tamen ipse negas . . .

Dicitur autem de hoc amore v. XV, 96 sq. Atque ibi non nisi Oenonae nomen fama acceptum generali 'nympharum' mentioni, quam unam Oenonen respiciens Paris ex sermonis consuetudine usitatissima fecerat, Helena substituit: nisi forte praeter Oenonen etiam Arisben significari putamus (cf. *Unger*, Sinis p. 91). Praeterea Helena ipsa claris verbis dicit de hoc amore se accuratiora inquirendo comperisse. Alio autem loco alterum earum rerum, quas de Paride scribit, fontem Helenae fuisse poeta cum addere noluerit, hoc uno eum consulto plura dixisse quam in priore epistula erant, statuendum est.

At faciamus illos CIV versus non esse profectos a poeta eodem, qui cetera composuit. Tum quoniam obiter illa fabula hic atque illic significatur ut notissima, tacito fingi, iam antea a Paride Helenae omnia esse narrata cogitari possit. At hoc statuere verbis ipsius Paridis vetamur:

17 Namque ego divino monitu, *ne nescia* pecces
Advehor . . .

Itemque versus 29 sq. atque XVI, 3—6 luculenter demon-

strant Paridem in ipsa epistula primum itineris causam aperire et alii loci eum cum Helena antea de ea re loqui non potuisse confirmant (XV, 215 sq. 257 sq.). Insciam igitur totius rei a poeta cogitari Helenam, cum detur Paridis epistula, apparet. Atque hanc eius inscitiam remotam esse putat Riesius (*Lit. Centralbl.* 1879 p. 777) versibus 20 sq. 35 sq. 163 sq., ita ut in responso omnes res ei sint notissimae! — Verum enimvero ex illis locis nihil apparet nisi Helenam a Venere Paridis thalamo esse promissam (v. 20, 35, 296) et a Paride eam aliis Iunonis et Minervae promissis esse praepositam (163 sq.). Ne verbum quidem de dearum lite, de congressu earum cum Paride, de causa ipsa, cur tandem deae illas res pollicitae sint Paridi, de iudicio ipso. Atqui Helenam, quam e Paridis epistula totius rei insciam esse putares, de omnibus his sua sponte loqui posse audio! Atque illi Paridis epistulae versus, quibus nititur Riesius, ampliorem fabulae narrationem adfuisse testantur. Priores enim versus rem ita significant, quasi ad accuratiorem narrationem attentos facere velint: v. 163 sq. tamquam rem notam obiter stringunt. — Etiam magis absurde ac multo minus convenienter Helenae verbis statueretur hoc poni a poeta, postquam Paris epistulam dedisset, eum amatae puellae accuratiora narrasse. Neque hercle poetae ipsius neglegentiae et incuriae tribui potest, quod illae fabulae omissae sint; talis certe levitas, eo minus esset excusabilis, quoniam agitur et de rebus quae summi momenti sunt, et de carmine haud ita longo, in quo poeta fuisset tam obliviosus. Itaque has de quibus locuti sumus res a Paride narratas fuisse ratio ipsa suadet ut statuamus.

Iam vero illos ipsos CIV versus, qui in primis editionibus emergunt, inserendos esse in Paridis epistulam, haec quidem sententia aliis quoque argumentis confirmatur.

Atque si saec. XV essent versus, incorruptos eos tradi apteque inter se cohaerere putares. At multa inveniuntur, quae aperte corruptelis depravata sunt; neque interpolationes et lacunae manifestae desunt.

Primum ipsum distichon, ut nunc se habet, Ruhnkenius (dictata ad Ovid. her. p. 92) recte ineptum ac vix latinum esse

dicit. Scriptum enim videmus v. 39 'sicut oporteat arcu', cuius enuntiati vox 'arcu' maxime propter proximum 'missilibus telis', quocum non coniungitur, suspicionem movet. Neque coniunctivus bene intellegitur. Cumque ne ipsa quidem notio 'oportere', quo iure ponatur, manifestum sit, ab interpolatore aliquo tractatum versum esse puto. Quid antea scriptum fuerit, certo coniici vix potest.

In v. 53 fortasse accipienda est Francii coniectura 'in *mediis nemorosae* vallibus Idae', quod magis poetico sermoni aptum esse videtur (cf. a. a. I, 289). Neque dubito, quin in v. 60 collatis am. II, 2, 20; Fast. III, 662 al. l. vera lectio ab Heinsio inventa sit 've*ri* vix habitura fidem' pro particula certe falsa 've*ro*', quam praebent libri. Itemque in v. 75 unum quod Heinsius correxit '*querebar*' (cf. ep. XIV, 82; XVIII, 135; rem. am. 644) ex tota loci sententia sanum praebet sensum, non quo verendi verbum cum accusativo et infinitivo coniungi negem (cf. Tr. I, 1, 124; F. I, 267), sed quia Paris quoniam certo sciebat non posse omnes vincere hoc non *veretur*, sed *dolet*. Orta est fortasse corruptela inde, quod in codice quodam aut una littera evanuit vel omissa est aut scriptum erat *iudexquerebar* syllaba *que* semel tantum scripta, ut facile legi posset *iudexq. uerebar*.

In v. 118 scribendum esse *lubebat* docent proxima verba *mea vota*. Corruptela igitur est *iubebat*, quod habet fragm. Paull., et coniectura editionum lectio *iubebar*. Atque etiam quod in v. 136 praebent editiones primae *intonuisse* mendum videtur esse, cum fragm. Paull. coniecturam habeat *incaluisse*, quae quidem dubito an Micylli invento *intumuisse* praeferenda sit. Augeri sane possunt hi loci: velut non dubito, quin Heinsius recte restituerit in v. 86 *pulchrior ipsa* (pro *illa*), 120 *pia voce* (*viae voce*), et v. 50 scribendum sit *utcunque est* (pro *ut nunc est*), sed ne versus pravos elegantiores reddere videar studuisse, hos quos inter omnes constat locos corruptos esse satis habeo attulisse. Audies plura atque etiam graviora.

Post v. 50 excidisse nonnullos versus, quibus Paris se expositum et a pastoribus educatum esse narraverit, inde a Scaligero ab hominibus doctis pro certo habetur. Neque enim statui posse puto poetam, quod nihil nisi capita rerum comme-

morantem fingat Paridem, consulto illud omisisse. An hoc ipsum grave ac magnum fuisse latet? immo accusandus esset poeta neglegentiae et levitatis, si fabulam silentio praetermisisset, quam insuper v. 51 sq. et 89 sq. ab eo narratam esse efficitur. In lacuna autem statuenda nobis acquiescendum est.

Num autem hi versus quos excidisse putandum est, excipi potuerint a v. 51 et 52, diiudicari sane nequit, hoc certe apparere puto neque v. 50 et 51 nec 52 et 53 tam arcte cohaerere quam in tam simplici narratione putares. Contra post v. 90 desideratur enuntiatum, quo accuratius significentur *rata signa*, quae vox sola posita recte intellegi nequit. Talis autem explicatio, cum insit in versibus 51, 52[1]), hos Heinsiana usus coniectura post versum 90 ponere non dubitem.

Denique duo versus extant, qui, ut traduntur, omnino sensu carent, hi:

98 Quas super Oenonem facies mutarer (f. P.: imitarer) in orbem
    Nec Priamo est ad (a) te dignior ulla nurus.

Nonne apparet hoc distichon ab editoribus primis, cum sanari posse desperarent, emissum esse quale inventum est in libris manu scriptis? Neque enim nisi librariorum proclivi errore adeo depravari potuerunt.

Medelam autem hanc unam esse puto, ut eiiciantur versus. Nam etsi singula verba qualia fuerunt, fortasse vix ut restituantur continget, tamen cogitationem apertam esse puto, quae cum putida et minime apta sit, talis comparet, qualem lector non satis doctus, cum desideraret Oenonae nomen, addere potuerit.

Permulta autem alia sine dubio a primis editoribus, qua erant doctrina et Ovidii peritia, recensita et correcta sunt. Itaque mirum non videtur, quod corruptelarum numerum in his versibus non fere tantum esse videmus, quantus in libris manu scriptis deterioribus esse solet. Denique corruptelis inquinati et sunt et, non aliter atque carmina codicibus tradita, olim

---

1) Postea enim v. 359 poeta eandem fabulam significare mihi videtur. Neque igitur ea dicuntur hoc loco *signa*, de quibus Serv. ad Verg. Aen. V, 370 tradidit. Cf. *O. Jahn*, archäol. Beiträge p. 340 n.

magis etiam fuerunt hi versus. Quare eos *paulo* antequam editi sunt conflatos esse credi non potest. Atque adeo tales intercurrunt corruptelae, quae per saeculi unius spatium paulatim enasci potuisse non videantur. Nam cum uno tantum libro versus pervenisse videantur ad saec. XV, rarissime sine dubio libri, in quo aderant, deinceps perscripti sunt. Itaque haec quoque versuum CIV condicio eos non ab Italis demum confectos esse testari mihi videtur.

Accedit quod nusquam nec metrum nec dictio aut inelegans est aut ab Ovidii arte abhorrens laedit, quod quidem ne ei quidem negaverunt, qui hos versus deleri maluerunt[1]). Deinde ut leviora omittam, per illos CIV verus eadem Ovidiani sermonis deprehenditur imitatio atque in relicuis Ovidianorum epistulis. Cf. XV, 45 et Met. XIII, 216; F. III, 27. — 47 et Met. II, 274. — 50 et e. P. III, 2, 104. — 53 sq. et ep. XII, 67. — 56 et Met. II, 792. — 58 et F. III, 26. — 61 et Met. IV, 723. — 63 et F. VI, 7. — 62 et Met. II, 742 sq. — 74 et a. a. I, 109; F. III, 378. — 102 et F. I, 422; rem. am. 500. — 121 et am. I, 7, 39. — 126 et am. I, 2, 8; III, 1, 20; a. a. I, 9; F. IV, 4. — 127 et am. III, 11, 51; Tr. I, 2, 73. — 135 et Met. IV, 506. — 141 et am. III, 12, 9; a. a. III, 535. — 143 et Tr. V, 8, 25; e. P. III, 1, 127; I, 4, 29. — 144 et am. I, 15, 20; III, 1, 29; a. a. I, 73.

Atque adeo Ovidii more insolentius dictum est v. 71: 'neve', incuriosius v. 57: 'Dardaniae' cf. Ov. Tr. I, 10, 25; in construendo versu 78, cui similis est XV, 278, ante oculos versata est proprietas aliqua Ovidiana cf. Met. I, 162; VI, 23; Fast. V, 419, itemque in v. 138 cf. ep. X, 112.

In universum non minus ornati sunt versus atque expoliti quam in ep. XV et XVI, et haud pauci loci extant, ubi locutio vel exquisitae cuiusdam sit elegantiae cf. 122, 132 al. l.[2]).

---

1) cf. *Lachmann*, ind. lect. Berol. aest. 1848, (kleinere Schriften z. klass. Phil. p. 58); *Eschenburg*, metrische Untersuchungen über die Echtheit der Heroides des Ovid. Progr. Lüb. 1874. *Sedlmayer*, comment. crit.

2) Statuerunt hoc editores (Loers. Nauger. Lennep.) et Werfer. l. c. p. 509, cf. p. 511.

Sed iam de Riesii quibusdam argumentis, quibus suam fulcit sententiam, pauca dicenda sunt. — Quod primum haesit in enuntiato v. 101

Te vigilans oculis, animo te nocte videbam,

miro modo errare mihi videtur. Nam profecto etiam vigilanti potest res quasi extrinsecus obiecta, quae tamen nulla sit, ob oculos versari, praesertim si multa de illa acceperit semperque de ea cogitet[1]). Itaque ne de ea quidem fabula antiqua cogitandum est, qua iam ante iter Paridis Troiam Helenae imaginem missam esse narratur. Neque quod 'Petronio' (Anthol. Lat. v. 702) similis est ille versus (101), ut ab eo fluxerit, efficitur; multo maiore iure Loersius e contrario 'Petronii' 'Ovidium' fontem esse dicit, ut eadem ratio huius sit atque aliarum imitationum, de quibus supra egimus. — Tum versus 115—118 fastidiosum in modum repetere putat, quae iam (21—24) dicta sint. At his versibus narrat Paris, quam caute dea ipsum in itinere tuita sit, illo loco, quam studiosus fuerit ipse itineris, describit. Versus 103 sane paene eandem praebet sententiam atque v. 37. Sedtamen hanc ipsam cogitationem per totum carmen saepissime repetitam invenimus, quoniam eo ut gravissimo utitur argumento. — Minime igitur alieni esse videntur versus a sermonis elegantia et concinnitate, qualis in relicua Paridis epistula apparet.

Denique est in eis eadem imitandi alios ratio atque in relicuis epistularum partibus. Etenim haec quoque carminis pars ex antiquioribus fontibus atque maximam partem e tragicis graecis fluxit. De ipsarum Paridis et Helenae epistularum fonte accuratius agi ne opus quidem videtur esse; nam fabulae, in quibus potissimum vertuntur, explicatius in CIV illis versibus solis insunt, et in relicua epistula et ab Helena leviter tantum attinguntur. Quas autem obiter tantum, ut exemplo utatur, tangit poeta, fabulae vulgatissimae fuerunt ac mythologicum poetae apparatum nominare possis. Natura moresque Helenae et Paridis

1) cf. Met. IX, 468 sq.; ep. VII, 26; a. a. II, 348; ep. XVII, 31; II, 11, 91; X, 31. cf. anth. lat. ed. Burmann I, 643; II, 110, 686.

accurate secundum homerica carmina finguntur[1]), nisi quod apud Ovidium pro aliquanto petulantiores libidinosioresque apparent. Atque in universum de fontibus duarum epistularum hoc dicendum est: non unum aliquod, quod quidem nobis notum sit, ad imitandum propositum fuisse carmen, sed poetae in memoria fuisse fabularum antiquissimas formas, quales apud Homerum tragicosque graecos extant[2]). Age de iis, quoad nobis patent, accuratius quaeramus!

Antequam Paris natus est, Hecuba in somnis vidisse narratur (XV, 43 sq.; 121; XVI, 237) se flammiferam facem parturam esse. Qua specie vaticinati sunt augures hoc significari: a puero, quo esset gravis illa, Troiam urbem in perniciem vocatum iri. Itaque Paris natus in Ida monte expositus et inter pastores educatus est (hoc in lacuna post versum XV, 50 fuisse statuimus). Haec quidem, quae apud Homerum non inveniuntur, narrantur apud tragicos graecos maximeque apud Euripidem (cf. Androm. 294 sq., 575, 1290; Welcker, griech. Trag. p. 462—476).

Ab eisdem pendent Romani quoque poetae tragici, velut Ennius (cf. Ribbeck röm. Trag. p. 81 sq.) itemque Hyginus; cum Dracontius quidem nonnulla fabulae lineamenta diverso modo adumbret (cf. Mus. Rhen. XXVII, p. 477).

Quod in Idae montibus (XV, 95) '*Nymphis curaque amorque fuit*', cum dilexerit Oenonen (XVI, 195), poeta certe non e poetis Alexandrinis hausit, quoniam Ovidius ipse de hoc amore large loquitur (her. V). Quod deinde narrat tres deas Paridi, cum pastor in Idae montibus versaretur, Mercurio duce apparuisse (cf. XV, 53—89; XVI, 242) orantes ut, quaenam esset pulcerrima, diiudicaret, certe ex antiquioribus fabulis fluxit. Nulla enim alia causa iudicii affertur, nisi ut iussu Iovis certamina sistat dearum (XV, 69). Nondum sermo est de pomo

---

1) De Helena cf. Hom. Od. IV, 145, 260; Il. III, 180, 400; VI, 344; XXIV, 764; II, 356, 590; III, 174; de Paride ep. XV, 93 et Il. III, 39, 54; ep. XV, 352 et XVI, 251 cum Il. III, 430 sq.

2) Similes sunt velut ep. XV, 16, 27, 35 et Eur. Hel. 29; ep. XV, 297; XVI, 154 sq., 163 sq. et Eur. Troad. 943.

aureo Eridis, quod deae victrici dandum fuisse inde ex Alexandrinorum tempore atque deinde medio aevo et recentiore aetate nunquam non fabulis celebratur[1]). Hoc luculenter docere mihi videtur etiam CIV versus illos e tragoediis graecis potissimum fluxisse, quippe quae illam fabulam non praebeant (cf. Eur. Androm. 274 sq., Troad. 918, Iph. Aul. 1284, Hel. 25, 675).

Tum commemorandum est sicut apud Euripidem (Iph. Aul. 1291 sq.) ita hic quoque (XV, 53—60) primo paucis verbis describi, qua in regione actum sit iudicium. — Mercurius dearum dux est ut Eur. Androm. 275 ita ep. XV, 61 sq.

Deinde conferendi sunt her. XV, 81 sq., 163 sq., XVI, 117, 131 cum Eurip. Troad. 925 sq., quibus locis similiter dearum enumerantur promissa. Atque etiam quod dicit poeta (XV, 67 sq.), Paridem primo Mercurii aspectu perterritum esse, in tragoediis erat; docent hoc et Coluthi rapt. Hel. 121, neque minus vasorum picturae (cf. Overbeck l. c. p. 213). — Denique quomodo agnitus sit a Priamo, hoc quidem eadem ratione narratur atque iam in tragoediis fuisse ex Hygini fab. 91 concludi potest (cf. Welcker griech. Trag. p. 100). Agnitus enim est per 'rata signa' (90), qua voce, ut fertur in tragoediis (Eur. fragm. 47, 59, Hygin. f. 273, Ribbeck l. c. p. 84 sq., 89, 92), imprimis certamina cum fratibus feliciter gesta indicantur[2]) (XV, 51, 52, 359 sq.). Aliter posteriore aetate res fabulis ferebatur (cf. Dracont. de rapt. Hel. v. 68—102, cf. Ribbeck l. c. p. 91). — Atque quod Menelaus Paridi monstrans fingitur Spartes memorabilia, haec quidem cogitatio ab antiquis poetis profecta videtur esse; similia Ovidius quidem narrat (Met. XIII, 635 sq.).

Itaque mirifice eruditus et perspicax sane fuisset homo

---

1) cf. *Luckenbach* in annal. philol. Suppl. XI, p. 592 sq.; *Welcker* alte D. V, p. 380; *Fränkel* in annal. archaeol. 1873 p. 37, ubi locis citatis addas mythograph. Vatic. I, 208; II, 206; Liban. narr. 54; Westermann mythogr. p. 379; Schol. Eur. Hec. 643.

2) cf. *O. Jahn* archaeol. Beiträge p. 338. Commemoro hoc loco errare *Fuchsium*, qui hanc Ovidianam fabulam diversam esse ab Hygini narratione dicit, cf. eius disp. de varietate fabularum troicarum p. 38.

iste Italus doctus, qui tam accurate poetae consuetudinem investigasset et vestigia pressisset, ut fabulas ex eisdem atque ille fontibus sumeret et plane ad eius consuetudinem exornaret.

Probavimus igitur argumentis haece: et necessariam esse illam narrationem, quae continetur v. CIV illis, et omnem horum condicionem, dictionem artemque metricam, imitandi alios poetas rationem eam esse, ut eidem tribuendi sint versus poetae, qui Paridis epistulam scripsit.

Restat, ut illustretur, qui factum esse videatur, ut versus e relicua epistula exciderint. Negari non potest cum loquacitate atque verborum luxuria horum versuum argumentum descriptum esse; quamquam in hac re nihil differt a tota epistula. Hanc autem fuisse causam, cur doctus aliquis homo, cum recensionem faceret epistularum videretque aliquo modo excipi posse versum 38 a v. 143, totam illam partem ex epistula segregaret, de hac quidem re certe vix cogitandum est[1]). — Magis arridet haec coniectura. Codicis Puteanei archetypum, unde omnes codices fluxisse recte statuitur, in unaquaque pagina XXV—XXVI versus exhibuisse veri est simile (cf. L. Müller de re metrica p. L. p. 43). Itaque statui potest duorum foliorum iactura versus CIV esse deperditos, et indicium, quod est in Puteaneo post v. 38, si quidem profectum est ab illius libri scriba, lacunae signum agnoscendum esse.

Manaverunt igitur omnes heroidum epistularum, quos nunc quidem novimus, codices ex archetypo, in quo et singula fortasse disticha librariorum errore interciderant et nonnulla folia tam in fine quam in medio libro abscissa perierant. Perpauca autem exemplaria, quae quidem aut perierunt aut nunc latent, ex integriore aliquo codice archetypo fluxisse et raro esse transcripta statuendum est. Atque quaesitae et inventae in his sunt particulae illae amissae tum demum, cum renascente veterum scriptorum studio ubicunque libri manu scripti pervestigarentur. Neque vero illi

1) Statuit simile aliquid Naugerius in edit.

libri, qui partes illas epistularum aliis locis omissas oblivioni eripuerunt, omnes omnia poetarum Ovidianorum disticha una servaverunt: unum illud exemplar, in quo Parmensis editor epistulae XX, versus inde a 144 invenit, etiam Paridis epistulae versus illos CIV complexum esse videtur, quippe qui a prioribus editoribus, quoad equidem videre potui, omittantur. Quoniam autem editores primi nihil amplius de illorum codicum condicione dicunt neque plus quam illos ipsos versus in aliis codicibus omissos ex eis recepisse videntur, quaenam illorum fuerit ratio, nescimus.

Addendum.

Dum typographi specimina corrigo, cognovi *Birtium* et de libri Ovidiani inscriptione disputavisse (das antike Buchwesen, Berlin 1882, p. 378 sq.), et quae antea de partitione statuerat, retractasse et correxisse. Cum eis, quae de hac re exposuit, nihil habeam quod addam, illa eius coniectura, qua primum quidem titulum *'heroides'* fuisse, sed eum adiectis virorum litteris mutatum esse in *'epistulae'* censet (quam quidem vocem 'geschlechtslos' appellat), num vera sit, satis dubitationis relinquitur.

Sed de mea ipsius, quam p. 2 exposui, sententia iterata cogitatione aliquam mihi dubitationem subortam esse profiteor. Adiectivum enim 'herois' coniunctum cum 'epistula' quaesiti quiddam atque artificiosi habet, cum talis coniunctio non tam inscriptioni prosariae quam poeticae orationi conveniat. Praeterea 'epistulae heroides' potius heroum quam heroinarum epistulae intellegendae sunt. Cum autem constet a scriptoribus antiquis libros licentius citatos atque eorum titulos haud raro decurtatos afferri, hunc Ovidianum librum, cum 'epistulae heroidum' inscriptus esset, a Prisciano nominatum esse 'heroides' verisimile est. Itaque haud scio an rectius statuatur 'epistulae heroidum' fuisse inscriptionem plenam et antiquam.

Index locorum.

Vita.

Natus sum Guilelmus Peters anno h. s. LIX Heiligenstadii, quod est oppidum Saxo-Borussiae, patre Laurentio, [illegible] lelmina e gente Fessler. Fidem profiteor catholic[illegible] litterarum elementis imbutus adii regium gymnasi[illegible] stadiense. Anno h. s. LXXIV verno tempore, cum [illegible]r meus gymnasii Hadamariensis director dictus esset, patria illa relicta in hanc Nassoviae urbem permigravimus. Cumque huius oppidi gymnasium regium per septem semestria frequentassem, anno h. s. LXXVII auctumnali tempore maturitatis, quod vocatur, testimonio instructus sum. Philologiae operam daturus primum almam litterarum universitatem Ludovico-Maximilianeam Monacensem petii, ubi per anni spatium scholas frequentavi philologicas *Bursiani*, *Christii*, *Halmi*. Tum Gottingam me contuli ibique per semestria sex viri et doctrinae et humanitatis laudibus ornati me docuerunt: *Baumann*, *Dilthey*, *Fick*, *Goedeke*, *Körte*, *Guilelmus Müller*, *Sauppe*, *Volquardsen*. Ut in regium seminarium philologicum reciperer *Diltheyi*, *de Leutschii*, *Sauppii* benevolentia factum est.

His viris omnibus, qui mihi duces fuerunt optimi, imprimis Diltheyo, qui insigni cum benevolentia studia mea Ovidiana et consiliis et auxiliis omnibus adiuvit, gratiam et habeo et habebo maximam.